MEDICINA PASTORALIS.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

MEDICINA PASTORALIS.

EDIDIT

D^R. C. CAPELLMANN,

MEDICUS AQUISGRANENSIS.

EDITIO SEPTIMA. LATINARUM ALTERA.

AQUISGRANI.

SUMPTIBUS RUDOLPHI BARTH.

MDCCCXC.

Aquisgrani, typis F. N. Palm.

Praefatio.

A multis theologis rogatus et a viris amicissimis impulsus, ut „Manuale medicinae pastoralis“ conscriberem, hunc librum componere suscepi, qui primum anno 1877 editus, benignius quam sperare licuit, tum in Germania tum extra receptus est et mitius judicatus. Neque vero pauci postea a me flagitarunt, eundem librum ut in Latinam linguam verterem, quo et major eius utilitas existeret in regionibus extra Germaniam positis, et eiusdem usus in clericorum seminariis commendari atque introduci posset.

Quod quum diu haesitassem, ipsis Latinae versionis difficultatibus perterritus, nunc demum huic quoque desiderio morem gerere constitui atque hanc Latinam editionem ex editione tertia Germanica emendatiori transtuli. Quodsi dictionis interdum elegantia in Latina versione requiratur, eius rei causam in eo positam esse scias, quod imprimis id curandum mihi esse judicarem, ut dicendi genus esset perspicuum atque facile ad intelligendum.

Idem denique hoc loco, quod iam in praefatione primae editionis declaravi, denuo profiteor, hoc meum esse consilium ac decretum, ut mea sententia sententiae Ecclesiae Romanae-Catholicae in omni re et loco subiiciatur; quare si quid forte in libro occurreret, quod cum Ecclesiae doctrinis non plane

3385

consentiret, id ego sine ulla conditione iam nunc reiectum atque revocatum esse volo.

Hic liber utinam illum fructum afferat, quem veluti mei operis mercedem maxime quaesivi: reddat faciliorem velim curam animarum clericis et pro sua parte nonnihil conferat ad animarum salutem sempiternam!

Aquisgrani, mense Januario 1879.

Praefatio alterius editionis Latinae.

Progressibus artis medicinae factum est et maioribus in dies observationibus, ut in hac altera Medicinae Pastoralis editione vel nova quaedam addi vel alia emendari oporteret. Quae ut quam optime perficerem, cordi mihi erat, unde fieret, ut etiam haec editio ab artis medicinae, quae nunc est, perfectione non aliena esset.

Aquisgrani, mense Julio 1889.

INDEX.

Pag.

Praefatio III

Introductio 1

A. De quinto praecepto 9

I. De abortu procurato et de diminutione foetus vivi ad matris vitam servandam adhibita 9

1. De abortu 9

2. De foetus vivi diminutione 16

II. De operationibus vitae periculum afferentibus 21

III. De medicamentorum usu 31

De usu et abusu Morphii 33

De usu Chloroformii 37

De magnetismo animali, de Hypnotismo 41

Appendix: De vaccinatione 42

De nutricibus 45

De intemperantia et ebriositate 52

De hysteria 55

De hypochondria 57

De ecclesiastica suicidarum sepultura 59

De morbis animi 62

B. De sexto praecepto 66

I. De masturbatione 66

II. De pollutionibus 76

III. De tactibus et aspectibus impudicis 83

C. De praeceptis ecclesiae 88

I. De frequentatione templi 88

II. De praecepto ieiunii 91

III. De praecepto abstinentiae 96

D. De Sacramentis 101

I. De Baptismo 101

II. De Communione 116

III. De extrema Unctione 126

De medici obligatione, qua providere debet, ut infirmus in periculo vitae constitutus tempestive saluti animae suae consulat 128

Pag.

IV. De matrimonio 132
1. De onanismo. De peccato Onan. (De sterilitate facultativa) 133
2. Abruptio copulae ante seminationem 137
3. De situ coniugum in copula 147
4. De tempore et circumstantiis copulae 148
a. De tempore menstruationis 148
b. De tempore purgationis puerperalis 150
c. De tempore lactationis 151
d. De tempore praegnationis 152
e. De tempore morbi 155
f. De tempore statim post balneum, sectionem venae, vel prandium aut coenam 158
5. De impotentia 159
1. De impotentia viri 159
2. De impotentia mulieris 162
3. De impotentia relativa 164
4. De hermaphroditis 165

E. De affectionibus et morbis periculum vitae afferentibus . . . 166

F. De signis aegrotationis gravis et mortiferae 170

G. De agonia 177

H. De asphyxia 179

J. De signis mortis 182

K. De primis remediis, quae in subito vitae discrimine, periculosis conditionibus vel casibus adhibenda sunt 186
I. De mediis in asphyxia adhibendis 187
II. De primis remediis in quibusdam morbosis conditionibus adhibendis 190
III. De primis remediis in laesionibus adhibendis 197
IV. De primis remediis veneficiorum 205

L. De cura infirmorum 210
I. De cubiculo infirmi 214
II. De lecto infirmi 216
III. De decubitu, gangraena ex decubitu 218
IV. De fumigationibus 219
V. De cibo ac potu infirmi 222
VI. De usu ac ratione praebendi medicinas 225
VII. De applicandis remediis externis 228
VIII. Varia 236
IX. De cura morientium et mortuorum 238
Appendix: Pondera et mensurae 240

INTRODUCTIO.

„Medicinae pastoralis“, quae dicitur, manuale necessarium esse eamque necessitatem ex ipsis functionibus sacerdotalibus enasci, adeo omnibus perspectum atque agnitum est, ut operis huiusmodi opportunitatem iam in dubium vocare nemo possit. Sed quae et quanta materia ad manuale medicinae pastoralis pertineat, haec utique est quaestio, de qua disputari potest.

Mea quidem sententia medicina pastoralis est *summa illarum inquisitionum anatomico-physiologicarum et pathologico-therapeuticarum, quarum cognitio et parochis et confessariis in munere exercendo necessaria est.*

Quam huius disciplinae notionem ita tamen amplificandam esse puto, ut manuale medicinae pastoralis etiam eas cognitiones respiciat, quibus medicus indiget, *ut medico ea theologiae dogmaticae et moralis principia tradat, quae cognoscat oportet, ut eius modus agendi ubique sit tutus atque honestus.*

Hac quidem nostra aetate medicos necessitas, discendi principia et dogmata theologiae ad munus rite obeundum, non pari modo urget ac sacerdotem premit necessitas, discendi ea, quae ex medicina ad sui muneris exercitium pertinent. Cuius rei causa minime quaerenda est in eo, quod necessitas illa prior non existat, sed in eo potius, quod medicae disciplinae materialismo nimis favent ideoque institutiones illas theologicas minime desiderant. Nam sicut sacerdos in compluribus quaestionibus moralibus ignorabit, quid consilii capiendum sit, si physiologica vel pathologica quaedam omnino ignoret vel non satis intelligat, — ita etiam quaedam sunt principia ac doctrinae theologiae

moralis, imo et dogmaticae, quibus non intellectis medicus sane saepissime errans tum sibimetipsi tum aegrotis damnum plus minusve grave inferet. At verissimum quidem est, studiosis medicinae neque tempus adesse vacandi theologiae, prae tanta rerum discendarum amplitudine, neque occasionem aptam in nostris universitatibus praeberi. Pariter verum est idque multo magis dolendum, doctrinam et modum agendi, quo magistri medicinae in universitatibus nostris utuntur, saepissime bonis moribus repugnare.

Iamvero eodem modo quo „medicina forensis“ studiosis et medicinae et juris traditur, cum libri de medicina forensi tractantes ita compositi sint, ut tum medicus tum iurisconsultus ex disciplina ipsis aliena ea, quae sibi necessaria sint, invenire possint, — eodem modo, ut mihi videtur, medicina pastoralis respicere debet non tantum ea, quibus clericus, sed etiam quibus medicus indiget. Probatur autem hoc insuper ex eo, quod maxima ex parte sermo est de quaestionibus, quae solvi nequeunt, nisi theologia et medicina mutuo se compleant. Quamvis hac ratione in tali libro uterque plura inveniat, quae, ipsi iam pridem nota, alteri tantum in hac compositione prodesse possunt, — hoc tamen minime aegre feret, quandoquidem tractatio earum rerum, quae duabus disciplinis communes sunt, hoc incommodum natura sua secum fert.

Ut manuale medicinae pastoralis satisfaciat utrique postulato, quod supra exposuimus, minime requiritur, ut artis medicae disciplinae nonnullae vel fere omnes plus minus systematice tradantur, neque enim id conveniens est, medicis totam theologiam dogmaticam et moralem systematice proponere. Quod si quis exequi vellet, medicina pastoralis non iam liber aliquis sed bibliotheca parva fieret. Nemini certe in mentem veniet, in libro de medicina forensi, dum sermo est de infanticidio, exspectare vel systematicam expositionem doctrinae de arte obstetricia, vel completam explicationem legum opinionumque iuridicarum de homicidio. Sufficiunt ea, quae ad propositum sunt necessaria; quod abundat, vertitur in vitium. Ex hoc autem vitio, quod nimium tribuitur systematicae tractationi singularum disciplinarum,

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

videntur fere omnia [1]) manualia medicinae pastoralis hucusque edita laborare. Reperiuntur in iis dissertationes systematicae et populares de anatomia et physiologia, de psychologia, de hygiena quae dicitur, de diaetetica corporis et animae, de pathologia et therapia, imo completae dissertationes de theologia pastorali etc. Quaedam ex his disciplinis propterea huc non pertinent, quia tum medico tum clerico necessarius est totus eorum ambitus. Cuiusmodi est imprimis psychologia. Nam quamvis multa hac in re committantur vitia hoc nostro „saeculo philosophico", etiamsi non desint medici atque etiam confessarii, qui psychologiam supervacaneam sibi putent, at medicinae pastoralis tamen esse nequit, huic defectui mederi. Quae de psychologia dicta sunt, similiter de diaetetica tum animae tum corporis valent. In quolibet homine erudito nonne nostro jure postulamus, ut ad suam ipsius utilitatem discat modum vivendi tum animae tum corpori magis salutarem? quanto magis haec a confessario et a medico postulanda sunt, quippe qui non solum suae valetudini prospicere debeant, sed etiam valetudini animae et corporis aliorum hominum! Neque enim solae formulae

[1]) Ac ne illum quidem librum excipio, quem Dr. August Stöhr Friburgi apud Herder 1878 edidit „Handbuch der Pastoralmedicin". Nam cum in ipsa libri inscriptione diceret, se imprimis valetudinis curam tractaturum esse, tum postea amplius dimidia libri parte in hac materia versatur. Quare quamvis dicendi genus sit magnificum et iucundum, cum vel poetarum more res quasi oculis subiciat, vel verborum allatorum copia delectet, medicina tamen pastoralis, quam equidem definivi, dici nullo modo potest — Una quae iudicio meo congruit „Medicina pastoralis" est a Dr. E. W. M. von Olfers anno 1881 item apud Herder edita. Is eadem fere quae ego libro suo tractat, rerum dispositione immutata. Nam equidem ita materias distribui, ut praecepta decalogi, ecclesiae, cetera deinceps tractarem; ille easdem materias ita ut vitae aetates sequeretur „hominis viatoris in vita humana quasi peregrinationem". In exponendis autem his materiis, paucas si excipias, proxime librum meum sequitur, quem cum legerem, saepe per totas paginas mea legerem. Quod quamquam ille quidem excusat „haud scio an iusto magis ab alio se sua repetiisse"; hac tamen excusatione opus non erat. Mihi enim satis laudi est, quod quam ego primus viam per haec hucusque adeo neglecta inivi, ab aliis ita comprobatur, ut primus qui succederet, mea vestigia tam proxime premeret. —

medicamentorum medicum corporis efficiunt, nec soli conatus conversionum medicum animae; maioris momenti est, homines et anima et corpore sanos *conservare,* quam conari aegrotis sanitatem restituere. Itaque quum diaetetica corporis et animae sit ea disciplina, quae ad ipsam conditionem medici et confessarii quam maxime pertineat, ne haec quidem in medicina pastorali systematice tradi potest. Aliter tamen sentiendum est de diaetetica cura infirmorum. De hac clerico necessaria tradenda sunt. Nam in cura custodiaque aegrotorum praesertim ruri clericus multum prodesse, multas opiniones praesumptas depellere, multis abusibus obviam ire multaque damna prohibere potest, quum ipse plerumque non rarius, nonnunquam etiam saepius invisat aegrotos, quam medicus quumque curam, quae aegrotis a propinquis adhibetur, custodire possit.

Ad anatomiam et physiologiam quod pertinet, optandum quidem est, ut sui quisque corporis eiusque functionum certam quandam cognitionem habeat ad vitam valetudini utilem melius cognoscendam, qua de causa haec scientia etiam confessario utilis vel etiam necessaria esse potest. At ne de his quidem medicina pastoralis agere potest. Existunt tractatus ad sensum vulgarem accommodati de hac aliisque disciplinis, ex quibus ille, qui talia appetit, scitu digna facile acquirere potest. Tractatio autem brevior, qualis certe in medicina pastorali necessaria esset, saepius fit obscura atqua non intelligitur. Medicina pastoralis coarctari debet ad ea, quae confessario ad munus suum absolute necessaria sunt. Plura hic accipienda esse sine profundiore intelligentia et ampliore cognitione, ex rei natura sequitur. Hinc facta quaedum ac cognitiones cum ex disciplinis, quas quis ipse funditus discere nequit, repetantur, profecto in verba magistri credenda sunt. Secus enim multae illae literarum disciplinae singulis hominibus parvi essent pretii, quandoquidem nemo omnia discere et inquirere potest.

Similia de pathologia et de therapia dicenda sunt. Quae si clericum docent, quibus indiciis imminens vitae periculum generatim cognosci possit, quibus morbis plus minusve ipsi notis vel indicatis et quibus casibus fortuitis periculum mortis oriatur, quomodo denique in periculo repentino se gerere debeat,

omnia ipsi praestiterunt, quorum indiget. Sciet enim tunc clericus, num et quando sacramenta administranda sint, neque unquam consilio et opera destitutus ac desperans adventum medici exspectabit. Sin autem supra optandum esse censui, ut diaetetica, atque etiam anatomia et physiologia, latius pervulgentur tractatibus ad vulgarem sensum accommodatis, — ratione pathologiae et therapiae tamen omnino contrarium dicendum esse puto. Scio quidem me hic quaestionem invidiosam tangere, nihilominus evitare eam nequeo. Facile quidem intelligitur, nec minus facile ignoscitur, omnes homines, tum eruditum tum rudem de nulla alia re libentius cogitare ac loqui, quam de rebus medicis. Valetudo enim, si vitam excipias, inter bona terrena primum locum occupat. Quapropter negari nequit, omnia, quae ad valetudinem eamque restituendam referuntur, unicuique dictu audituque iucunda esse. Minime autem excusari potest, et in eruditis plane non intelligitur audacia illa atque etiam pertinacia, qua hodie permulti homines putant, se de rebus medicis etiam sine ulla praevia institutione posse iudicare. In calceamentis si quid corruptum est, statim ad sutorem pergunt, bene scientes, se artem sutrinam non callere, quandoquidem eam non didicerint; corporis defectum per se ipsos emendare conantur. Et tamen defectus in calceamento, ut externum quoddam, oculis cernitur, contra saepius neque cernitur neque apprehenditur in corpore vivente defectus externus vel mutatio externa; defectus hic saepe ex perturbatione quarundam functionum oriebatur, cuius causu longe alio loco quaerenda est, quam in membro vel in partibus illis, quarum functiones perturbatae *apparent*. Constructio ac temperatio corporis viventis implicatissimum omnium rerum creatarum opus est; quapropter etiam peritissimo ac versatissimo medico, summa cum diligentia inquirenti recteque iudicanti non semper prospere succedit, ut veram causam alicuius perturbationis etiam periculosissimae in corpore vivente inveniat, quamvis modi scrutationis maximopere sint exculti. Attamen hic unusquisque homo mediocriter eruditus sufficienter se putat instructum ad iudicium ferendum. Quodsi forte insuper ex multitudine librorum de rebus medicis populariter tractantium

quaedam cursim perlegerit atque aliquid pecuniae expenderit pro „arte medendi naturali“ vel „nemo posthac e phthisi laborabit“ etc., iam omnino aptum se reputat, causam naturamque alicuius morbi cognoscendi iustaque remedia „contra hunc morbum“ indicendi: iam sibi fas esse ducit, de ratione agendi a medico adhibita saepe summo cum contemptu iudicium ferendi. Imo „experientia“ nixi nonnulli homines indocti atque inscii contra decisionem eruditi medici falsas suas opiniones confirmant. Vidit aliquis morbum hoc vel illo remedio sanatum, imo hunc vel illum morbum sine medicina sublatum; sed minime perpendit, plures periculosos morbos posse quidem depelli compensatione virium naturalium corporis, eundem tamen morbum complicatione quadam, quae imperito latet, pariter mortem vel diuturnam aegrotationem adducere posse. Talis homo insuper firmissime amplectitur illud „post hoc ergo propter hoc“, neque considerat, vim medendi corpori robusto naturaliter insitam, etiam praepostera curandi et agendi ratione adhibita, interdum sufficere ad hoc, ut perturbatio morbo excitata simulque effectus nocivus alieni remedii compensentur. Experientiam suam, quam praetendit, putat sibi esse argumento, se bene perspicere morbum aptumque medendi modum. Hinc oritur et sustentatur dolosa illa ars medendi, quae medicamentis arcanis ac vanis vel etiam nocivis aegrotos decipit. Pro qua fraude quotidie multum pecuniae profunditur, et, quod peius est, innumerabiles morbi initio sanabiles hac stultitia ad diuturnam aegrotationem adducuntur, rarius fortasse ex adhibitis remediis nocivis, quam ex idoneis neglectis.

Quodsi ex hac ipsa causa lectio librorum medicorum minime commendanda est, alia ad hoc accedit causa non minus gravis. Occupatio cum studiis medicis attentionem, ut per se intelligitur, magnopere in constitutionem corporis dirigit. Qua in re experientia notissimum est, ipsos medicos eruditos, peritissimos ac valde versatos in diiudicando statu suae infirmitatis non raro iudicio libero privari. Frequentius etiam hoc accidet in medicinae tironibus. Venit mihi in mentem dictum quoddam professoris Bamberger, in universitate Herbipolensi magistri, qui unoquoque semestri, praesertim quum de certis morbis, imprimis

de morbis cordis, dissereret, multos ex discipulis dicebat ipsum adire, petentes ab eo accuratam corporis sui scrutationem. Studiosi scilicet isti in dictis vel scriptis signa quaedam se invenisse putaverant, quae in suo corpore adesse videbantur. Qua de causa variis se aegritudinibus obnoxios et ad varia mala proclives putarunt, quod tamen scrutatione etiam parum diligenti tanquam vana imaginatio apparuit. Iamvero nonne a priori patet, perversas illas interpretationes atque errores quoad indicia et signa, quae in corpore proprio inveniri creduntur, multo magis locum habere apud eos, qui nullam medicinae scientiam habent? Et hoc eo magis, si ex tractatibus incompletis, ex parte tantum intellectis ac valde obscuris scientiam quaerunt? Quod autem a priori exspectari potest, id experientia plane comprobatur. In omnibus tractatibus de hypochondria lectio librorum medicorum enumeratur inter causas hunc morbum nimis sane percrebrescentem commoventes atque confirmantes, primumque remedium, quo medicus utitur ad sanandum hypochondriacum, remotio est omnium librorum medicorum sive populariter sive non populariter scriptorum, qui fere semper apud illos reperiuntur.

Quare quum lectio et intelligentia valde imperfecta librorum, qui de pathologia et therapia tractant, ad hoc unice inserviat, ut lector sibi aliisque damnum inferat, meo iudicio medicina pastoralis ex hac doctrina plura afferre non debet, sed omnino coarctanda est ad ea, quae necessaria sunt ad primum in repentino vitae periculo auxilium ferendum. Quod eo magis valet, quod imprimis sacerdotes, praesertim ruri, consultationibus ac precibus facile deducuntur in periculum illicite ac temerarie tractandi artem medicinae. Hac nostra aetate vix ulla reperietur regio, ubi consilium approbati medici haberi nequeat cum modica etiam iactura temporis ac pecuniae, atque sine ullis expensis tum pro medico tum pro medicamentis, si infirmus pauper sit. Quapropter nunc illa inclinatio clerici, tam temere exercendi artem medicinae omnino prava dicenda est. E contrario officium clerici tanquam magistri populi postulat, ut omnes preces huiusmodi repudiet, ut opiniones praeiudicatas, illicitam artis medicinae tractationem et superstitionem reprimere contendat, hominibusque persuadeat, eos

etiam ex conscientia obligatos esse, ut adeant medicum bene eruditum, qui talis ab iis, ad quos pertinet, declaratus est. Patet insuper, in consiliis, si petantur, de eligendo medico, prudentiam servandam esse, qua de re theologia pastoralis in capite de prudentia pastorali fusius tractat.

Dixerit mihi forte quispiam, sicut saepe medicis obiiciebatur, has aliasque similes disputationes non esse, nisi orationes pro domo. Quibus respondeo: Medici ex munere suo obligati sunt, ut illud semper dent consilium, quod maxime idoneum est ad valetudinem vitamque hominis conservandam. Fingamus igitur, aegrotum quendam laborare ex crure et medico persuasum esse, aegrotum crure amputato sanari posse, amputatione omissa post paucos dies moriturum esse. Ita pro amputatione perficienda medicus honorem ac mercedem haud mediocrem acciperet, dum e contrario, si aegrotus omissa amputatione post aliquos dies moreretur, multo minorem vel nullam mercedem reciperet. Iamvero si tum medicus conscientiam secutus amputationem suadet, nonne etiam tum, si ita placeat, habemus orationem pro domo, pari modo ac si suadeat, ut doctum medicum, non imperitum quendam pharmacopolam adire necesse sit, quandoquidem ei persuasum est, aegrotum melius se habiturum esse sub directione medici eruditi, quam pharmacopolae artis medicinae minime periti?

Porro possit aliquis dicere, minime quidem necessarium fuisse, hanc quaestionem tangere. Cui respondeo, mihi talia nequaquam videri in dubio relinquenda esse. Sed consulto haec arcessivi, ne cui dubium remaneret, cur ego contra plures alios scriptores de medicina pastorali in hoc meo libro tam pauca attulerim ex iis, quae clerico inservire possint, ut medici vices obeat eiusque munere fungatur.

Neque magis, quam clerico licet partibus medici fungi, licet medico clerici partes suscipere. Quam ob rem medicus ea tantum hic reperiet indicata atque explicata ex theologia morali, quibus indiget, ne quid negligat ex parte sua, quod ad spiritualem infirmorum salutem spectat, et ut actiones suas semper cum praeceptis theologiae moralis et concordes faciat et conservet.

A. DE QUINTO PRAECEPTO.

I. DE ABORTU PROCURATO ET DE DIMINUTIONE FOETUS VIVI AD MATRIS VITAM SERVANDAM ADHIBITA. [1])

1. DE ABORTU.

Christianismo debebatur, quod abortus ad medendum provocatus interdictus ac fere totus eradicatus est. Exeunte autem saeculo praeterito Britanni laudem ambiguam sibi compararunt, abortum iterum in artem obstetriciam introducendi. Britannos secuti sunt Francogalli, atque etiam postquam diutius restiterunt medici obstetricii in Germania. Jaquemier [2]) scribit anno 1867: „Aujourd'hui qu'on n'hésite plus à interrompre dès ses premières phases une grossesse, qui n'eût pu arriver à son terme sans mettre en danger la vie de la femme enceinte, il n'est pas un médecin digne de ce nom qui consentirait à rester volontairement un témoin inactif.“ In Germania Mende, Kiwisch, Scanzoni abortum rursus introduxerunt; quorum auctoritati tribuendum est, quod hodie fere omnes magistri et auctores de arte obstetricia disserentes, saltem unam alteramve, saepius etiam permultas indicationes abortus procurandi afferunt.

Abortus est expulsio ovuli seminati ex utero ante illud graviditatis tempus, quo foetus eo usque adolevit, ut extra uterum vivere possit. Itaque abortu ovum certae morti traditur. Ergo

---

[1]) Conferatur dissertatio mea de hac quaestione, cui titulus: De occisione foetus, quam abortu provocato, perforatione, cephalotripsia medici audent. Eine Studie für Aerzte und Theologen. Aachen bei R. Barth 1875.

[2]) Jaquemier in opere, cui titulus: Dictionnaire encyclopédique des sciences médicales. Paris 1867, tom. 7 pag. 575.

abortus provocatus ovo expulso directe mortem infert, ovi est occisio.

Iam vero illam quaestionem, utrum abortum ad medendum provocare liceat, ut recte diiudicare valeamus, naturam illius determinemus necesse est, de quo in abortu agitur. Obiectum hoc est ovum vivens mulieris humanae. Vivens enim supponi debet ovum, donec de eius morte non constat.

Mortui ovi expulsioni certe nihil obstat. At difficillimum est, imo plerumque prorsus impossibile, tempore graviditatis, de quo hic agitur, de morte vel de vita fructus se omnino certum facere. Vita ergo ovi supponenda est. Quodsi vivit ovum, etiam humana anima est praeditum. Est enim simplex anima humana eadem fons animalium corporis humani functionum. Neque ulla suppedit ratio, quae credere nos cogat, ovum humanum usque ad partum vel usque ad certum aliquod praegnationis tempus aliam habere animam, qua cedente, ut putat s. Thomas,[1]) succederet anima humana rationalis. Cur repetitum fingamus actum creationis, quum *unus* actus sufficit?

Minime enim licet, argumentum pro absentia animae rationalis petere ex eo, quod praestantiores animae functiones desunt vel non apparent, dum foetus in utero vivit (vita intrauterina). Nam primum quidem huius rei causa sita est in eo, quod membra perceptionis et activitatis in embryone nondum adulta vel in functionibus impedita sunt. Deinde haec res non est unica et singularis. In somno tranquillo, in syncope, in morte imaginaria pariter functiones quidem vitae animalis videmus progredi, sed contra digniores functiones animae suspensas esse vel saltem suspensas apparere. Necessarium non est, animam semper agere in omnes partes, saltem ex absentia quarundam functionum animae non licet concludere, etiam principium harum functionum abesse. Deficientibus ergo dignioribus functionibus minime inferre licet,

[1]) Quaestt. dispp., quaest. unica de anima art. 9: „Et sic, quum in embryone primo sit anima vegetativa tantum, quum perventum fuerit (sc. embryo) ad maiorem perfectionem, tollitur forma imperfecta et succedit forma perfectior, quae est anima vegetativa et sensitiva simul, et ultima cedente, succedit ultima forma completissima, quae est anima rationalis."

animam rationalem deesse. Unde ponimus pro certo, ovum humanum statim post conceptionem praeditum esse anima humana rationali, ovumque conceptum humanum esse hominem per se subsistentem.

Atque unusquisque homo, ergo etiam ovum humanum conceptum, primum ius habet ius in vitam suam. Idque est inviolabile, nisi

1. homo illud amittit agendo contra leges divinas atque humanas, vel

2. iniusta aggressione in corpus vitamque alterius, alter ius acquirit, in defensione contra vim iniustum aggressorem ipsum invadendi et vulnerandi, atque adeo occidendi ad suam vitam conservandam.

ad 1. Foetus in utero nequit ius vitae perdere agendo contra leges sive divinas sive humanas, quippe qui coactus sit, omnino passive se habere. Atqui nemo sine actione poenam incurrere potest, qui absque sua culpa agere nequit.

ad 2. Neque magis licet contendere, foetum esse in statu iniusti aggressoris contra matrem. Nam sine sua opera, imo sine ulla actione vel voluntate sua factum est, ut in ea conditione poneretur, qua vitam matris fortasse in periculum adducere posset. Quapropter de aggressione iniusta ne sermo quidem esse potest. Appositum autem „iniusta“ necessario requiritur, ut defensio et ipsa occisio licita evadat. Praeterea valde dubium est, num foetus tum, quum sine periculo vitae maternae nasci nequeat, omnino „aggressor“ haberi possit. Fere enim semper *impedimentum partus* ex matre oritur propter angustiam pelvis etc. Porro labor parturiendi non provenit ex foetu, sed ex ipsa matre. Ex actione enim uteri, quae quamvis a voluntate matris non dependeat, tamen ex matre ipsa oritur, atque ipsius propria est, periculum tum matris tum foetus venit. Ergo, si ex matris voluntate, generatione sc., foetus nulla sua opera in hanc conditionem pervenit; si porro ex matre ipsa oritur ea actio, quae ad eiectionem foetus spectat, si denique (plerumque saltem) impedimenta, quae huic eiectioni obstant, ex matre oriuntur, — quo tandem iure foetus „aggressor“ dici potest?

Qua de causa matri sive medico pro matre agenti ius defensionis contra vim iniustam favere nequit.

Hinc abortus procuratus censendus est occisio iniusta et homicidium.

Homicidium autem omni legislatione sive divina sive humana interdictum est; ergo *non licet abortum procurare.*[1]) Quaeritur, num esse possint circumstantiae, quae abortum procuratum reddant licitum.

Qua in re duo distinguamus:

1. Licetne *directe* procurare abortum, quo periculum vitae a matre avertatur?

2. Licetne *indirecte* procurare abortum, quo periculum vitae a matre avertatur?

ad 1. Respondent theologi: „Nunquam licet, directe procurare abortum.“ Ergo etiam ad avertendum periculum vitae a matre abortus directus permitti nequit. Neque dicas, te directe velle salutem matris, abortum indirecte tantum. Si enim unum excipias casum (quem cfr. infra), periculum matris eo demum tempore sublatum erit, quo abortus consecutus est, et ea ex causa, quod abortus consecutus est. Ergo salus matris non sequitur directe et immediate ex remedio ad abortum procurandum adhibito, quod per se forte sit indifferens, sed ex abortu ipso, tanquam ex sua causa. Effectus autem bonus directe volitus non debet sequi ex effectu illicito tanquam ex causa sua, quia in tali casu effectus illicitus necessario est directe volitus.

ad 2. Indirecta est procuratio abortus, si quis adhibeat remedia, quae ad avertendum periculum a matre necessaria vel

---

[1]) Interdum feminae, quae extra matrimonium gravidae sunt, rogant medicum, ut foetum expellat ipsasque ita ab infamia defendat etc. Patet, medicum ad hoc cooperari nullo modo posse. Sunt tamen medici, qui putent, hanc petitionem non esse simpliciter repellendam, ne ista alium adeat, qui forte facilius ei obsequatur. Volunt tali in conditione ficte petitioni morem gerere illisque aliquod medicamentum innocuum praebere v. gr. pillulas panis, quibus istas mulieres decipiant. At ut praetermittam, hanc fraudem plerumque finem suum assecuturam non esse, illicitum mihi etiam esse videtur semperque valde indignum, ita, quamvis ficte, nefario consilio morem gerere.

apta esse videntur, sed quae eadem prohabiliter abortum provocabunt vel provocare possunt, quem remedia non intendebant.

Adhibere media in se bona vel indifferentia cum directa intentione in effectum bonum, quae eadem prohabiliter praeter intentionem etiam effectum illicitum producunt, licitum est hac conditione:

primum, ut effectus bonus directe volitus tantum valeat, quantum est damnum ac detrimentum effecto illicito procreatum;

deinde, ut media adhibita directe et immediate bonum effectum producere valeant, non ut bonus effectus ex ipso effectu illicito, qui simul sequitur, tanquam ex sua causa procedat;

tum, ut aliud medium ad bonum effectum producendum non existat vel notum non sit;

postremo, ut adhibeatur cura evitandi effectum illicitum, quantum fieri potest.

Ex dictis ergo licet (cfr. Gury,[1]) tract. de V. 402), in curandis gravidis aegrotantibus, etiam extra grave periculum vitae, adhibere remedia, quae iuxta experimenta artis medicinae directe ad salvandam matrem necessaria vel apta sunt, quamvis experientia simul doceat, eadem remedia nonnunquam abortum efficere posse, at non necessario, imo de facto rarissime producere. Salus matris hoc remedio probabiliter vel certe efficienda opponitur periculo foetus possibili tantum: effectus ergo bonus directe volitus eiusdem est pretii atque effectus malus, qui sequi potest. Huc pertinent omnium interiorum pharmaceuticorum medicamentorum tantae portiones, quantae ad alios morbos sanandos requiruntur. Similiter huc pertinent balnea, venaesectiones, iniectiones in vaginam et cetera. Attendendum est sane, ut in adhibendis remediis, tum internis tum externis, modus ad sanandam matrem necessarius non excedatur; adest et hic obligatio, pro viribus evitandi effectum possibilem abortus.

Licet insuper, in periculo vitae matris directo et immediato tale remedium adhibere, quod aptum est, directe et immediate

---

[1]) Gury, Compendium theologiae moralis, Antonii Ballerini adnotationibus locupletatum. Editio tertia. Romae 1874—1876.

salutem matris efficere, quodque idem probabiliter abortum producet, dum modo aliud remedium ad sanandam matrem non sit simulque adhibeatur cura, abortum, quantum fieri potest, evitandi. In dissertatione mea, quam supra citavi (pag. 73 seqq.), fusius ostendi, unam alteramve ex conditionibus allatis deesse, ubicunque medici obstetricii nostrae aetatis indicationem ad abortum procurandum adesse iudicant, uno solo casu excepto. Imprimis illa semper conditio non adimpletur, quae postulat, ut salus matris *immediate* ex remedio adhibito oriatur. In omnibus casibus salus matris ex eiectione ovi demum, ex interruptione graviditatis sequitur, quare de abortu indirecte procurato sermo esse non potest. Abortus ipse est remedium, quod salutem matris affert; debet ergo ille ipse adhiberi tanquam remedium, id quod illicitum est.

Facere non possum, ut hoc loco Lehmkuhlio consentiam, qui 841, III:

„Ex consulto (inquit) abortum inducere, etiam licere videtur in *praesenti* vitae maternae discrimine, quod per solam foetus immaturi eiectionem averti possit: quo in casu vix magis erit *directa* abortus procuratio sensu theologico, quam in naufragio tabulam amico cedere est directa sui ipsius occisio. (Eodem modo, si eiectio foetus necessaria esset ad eius baptismum, haec indirecta occisio, seu potius mortis acceleratio videretur esse: sed id vix unquam occurrerit.)“

Etiam illa explicatio, quam Lehmkuhl his verbis addit, rem non satis explicat. Excusare abortum in praesenti vitae maternae discrimine vult iis rationibus, quae directo abortui optime congruunt, quamquam ipse negat, agi de abortu directo. Primo loco adducit notissimam illam circumlocutionem abortus, quae in eo versatur, quod „mater laxatis fibris foetum ex utero elabi sinat atque ita perire permittat“. Quam circumlocutionem postquam ipse impugnavit et exposuit, aliud profecto esse abortum artificialem, perturbationem enim conditionis naturalis vel quandam violentiam accedere, totam quaestionem transfert in locum longe diversum; adducit imperium, quod foetus in suam ipsius vitam habet et voluntatem, de iure vitae suae in matris favorem

cedendi. Foetus, inquit (l. c. 843) „potest renuntiare in favorem maternae vitae". Id equidem negare nolim. 2. „Foetus *revera renuntiare dicendus est,* quia in illis circumstantiis ius illud sibi evadit inutile, quippe quod a certa morte se non defendat, imo si ad supernaturalem finem respicimus, aggravat periculum *sine baptismo* decedendi, qui, abortu secuto, foetui applicari potest?" Sed quis tandem nobis dat ius supponendi, velle foetum resignare? — Quodsi sentit Lehmkuhl, post abortum foetum posse baptizari, id multum ideo restringitur, quod videmus in abortu artificiali satis raro foetum manere viventem. Quodsi l. c. 844 dicitur: „Modo tamen post foetus immaturi eiectionem baptismi conferendi saltem aeque certa sit spes, atque esset, si terminus naturae exspectaretur" illud opponendum est, quod in extrema graviditate baptismus probabiliter validus certe facilius procurari potest, quam post abortum factum; nam foetus arte eductus rarissime vivet, quamvis celeriter abortus factus sit; plerumque autem sat multum temporis requiritur. Quomodo Olfers p. 17 contrarium dicere possit, equidem non video. An vero multos foetus vidit post abortum viventes? Quando praesens matris periculum ex aliquo alio morbo oritur, adnotandum est, spem matris salvandae per abortum tum minime magnam dici posse. Neque enim abortus celeriter perficitur, saepe multi dies praetereunt neque res est sine matris periculo, praesertim cum ex aliis aegrotationibus praesens periculum adductum sit.

Quae cum ita sint, teneo equidem illud ab omnibus Moralistis concessum: Nunquam licet directe procurare abortum. Tum, si tantum per eiectionem foetus vitae periculum removetur, patet, praecedere effectum malum abortus, sequi demum postea bonum effectum. Quem nullo modo dicere possum abortum indirectum.

Hae conditiones de abortu indirecto a me propositae concurrunt in illo tantum casu, quum uteri gravidi in pelvi minore coarctati repositio impossibilis esset, id quod in uteri retroflexione, retroversione, descensu, prolapsu evenire potest. Si tum omnia alia remedia, quae medicus ad uteri repositionem vel liberationem efficiendam cognoscit, frustra sint adhibita, indirectam

abortus procurationem punctione membranorum ac liquoris amnii evacuatione effectam censeo esse licitam.[1]) Nam:

1. mater versatur in immediato periculo vitae ac sine uteri repositione simul cum ovo peribit;

2. aliud remedium ad salvandam matrem iam non est;

3. evacuatio liquoris immediate periculum vitae a matre avertere valet. Hic igitur periculum matris non ex graviditate physiologice spectata, sed mere mechanice ex amplificatione uteri oritur. Tollit evacuatio liquoris hoc impedimentum mechanicum et uterum deminuit, ex qua deminutione immediate possibilitas repositionis atque propulsatio periculi a matre sequitur, priusquam abortus, postea quidem certe secuturus, eveniat; quae omnia ita fiunt, ut abortus, sive expulsio embryonis ex utero, ad periculum removendum non sit necessaria.

Feliciter quidem accedit, quod haec uteri coarctatio iam in se non est adeo frequens; deinde impossibilitas absoluta repositionis adeo rara est, ut Martin[2]) inter 57 casus semel tantum punctionem membranorum necessariam esse censuerit; 50^{ies} uterus reponebatur; 5^{ies} abortus spontanee sequebatur ac deinde, ut per se patet, repositio; semel mulier propter infelices conatus exonerandi vesicam iam moritura in nosocomium transferebatur et sine repositione moriebatur. Mulier, in qua punctio membranorum adhibebatur, et ipsa exspirabat.

2. DE FOETUS VIVI DIMINUTIONE.

Etiam operationes ad foetum diminuendum (Perforatio, Cephalotripsia, Embryothlasis, Embryotomia, Embryoulcia) ex parte iam

---

[1]) Haud ignoro, complures theologos etiam hunc casum abortus indirecti non admittere. Quod tamen non me movet, sententiam meam derelinquere, donec argumentatio mea refellatur mihique demonstretur, unam ex conditionibus deesse, quibus expletis iuxta dicta licitus est abortus.

[2]) Martin, Die Neigungen und Beugungen der Gebärmutter, Berlin, 1866; et: Zeitschrift für Geburtshilfe und Frauenkrankheiten von Martin und Fassbender, 1874. I. 1.

antiquitati notae erant. Usque ad initium huius saeculi tamen nunquam foetus diminuebatur, nisi eius mors cognita ac perspecta esset. Hoc autem saeculo diminutio vivi quoque foetus magis magisque invaluit. Quodsi res ita se habet, ut inter haec duo tantummodo seligendum sit, inter sectionem caesaream scilicet et diminutionem foetus, ut insuper salus matris requirat finem partus, haec autem ipsa sectionem caesaream permittere nolit, — tunc hodie fere omnes diminutionem foetus etiamsi vivi indicatam esse censent.

Quid vero? licetne ita foetum vivum diminuere tanquam medium ad salvandam matrem?

Certe non licet, est enim directa foetus occisio eaque semper est illicita.

Accedit, quod diminutio foetus fere nunquam unicum est medium ad salvandam matrem, quum sectio caesarea etiam tum fere semper fieri possit.

Postremo ne diminutio quidem foetus certum remedium est ad salvandam matrem, foetus certe perire debet.

Sectionem caesaream mortiferam fere operatianem habere solent, quam ob rem nonnulli theologi putant, sectionem caesaream non esse remedium aptum, quo periculum a matre foetuque avertatur. Esto, sectionem caesaream antea plures occidisse quam sanasse, at nunc iam contrarium verum est.

Ex 100 mulieribus, in quibus sectionem caesaream exsequebantur medici, salvatae sunt:

secundum Kayser 38, secundum Michaëlis 46, secundum Mayer [1]) 46, secundum Hermann 57, secundum Indes-Lacomb 60, secundum Villeneuve 69.

Quibus ex calculis colligimus, circiter 52,6 ex 100 matribus sectione caesarea servari.

Qua in re simul advertendum est, iuxta omnes collationes mortalitatem e sectione caesarea provenientem in dies magis deminui propter maiorem artis et curationis perpolitionem. Valde

[1]) Sella gastroisterotomia. Napoli 1867. Citatum secundum Schroeder. Manuale artis obstretitiae.

perspicua haec fiunt ex iis, quae Garimond[1]) contulit. Iuxta Garimond ex 100 matribus sectione caesarea salvatae sunt:

ab anno 1750 usque ad ann. 1800—32,
„ „ 1801 „ „ „ 1832—37,
„ „ 1832 „ „ „ 1839—51,
„ „ 1839 „ „ „ 1851—60.

Qua in computatione Garimond ea sequitur, quae Kayser, Lauth, Guéniot et Joulain contulerunt.

Iam vero ex quo tempore operatio aseptica adhibetur, sectiones caesareae sine dubio multo meliorem exitum habuerunt. Desunt nobis adhuc maiores illae quidem collectiones statisticae, sed videmus ex recentioribus nuntiis, qui e clinica Lipsiensi et lechodochia Dresdensi[2]) publicati sunt, tantum 4 ex 24 sectionibus caesareis, quae in Germania et Austria secundum rationem Saengeri (conservative-antiseptice) fiebant, matri mortem attulisse. Secundum F. A. Kehrer[3]) 6 feminae mortuae sunt ex 16 sectione caesarea conservative-antiseptice curatis; secundum Leopold[4]) 2 feminae tantum ex 23. Etiam Winkel[5]) iudicat, ex 100 matribus operatione caesarea solere perire vel 8,6 vel 8,4. Unde concludo, ex 63 matribus interire 12 vel quod idem est, e 100 salvari 80.

Ut M. Hofmeier[6]) dicit, Struzzi, assistens medici Porro, allegat 150 exempla e variis commentariis ab a. 1876 ad annum extremum 1884 collecta, in quibus facta est sectio caesarea

---

[1]) Traité théorique et pratique de l'avortement, considéré au point de vue médical, chirurgical et médico-légal par Emile Garimond. Paris 1873. Adrien Delahaye. (Titulus hic citatur secundum annales editos a Schmidt, 1874, tom. 161, Nro 3.)

[2]) Archiv für Gynäkologie, tom. 28.

[3]) Archiv für Gynäkologie, tom. 27.

[4]) Der Kaiserschnitt und seine Stellung zur künstlichen Frühgeburt, Wendung und Perforation bei engem Becken. Unter Mitwirkung etc. herausgegeben von Dr. G. Leopold, Direktor der Königlichen Frauen-Klinik zu Dresden. Stuttgart 1888. pag. 172.

[5]) Winkel, F., Lehrbuch der Geburtshülfe. Leipzig 1889. pag. 723 et 654.

[6]) Deutsche medicinische Wochenschrift. 1886. Nro. 30.

Porrensis. Harum mulierum mortuae sunt 49, id est servatae sunt ex centum 67. Atqui haec ipsa numerorum paucitas satis demonstrat, quantum sectionis caesareae periculum deminutum sit.

Cui si insuper addatur, sectione caesarea ex 100 infantibus secundum Scanzoni salvari 65, secundum Michaëlis et Hermann 67, secundum Kayser 70, secundum Villeneuve 72, secundum Leopold 87, — sectio caesarea, praesertim gravissimis illis conditionibus, quibus necessaria est, consideratis, profecto non solum appellari non debet „véritable opération de sauvage“ (Ferdut[1]), sed e contrario operatio saluberrima, utpote quae multorum hominum vitam conservet, praedicanda est.

Contra operationes ad foetum diminuendum, quae prae sectione caesarea tantis laudibus efferri solent, plane alium ostendunt exitum, quam quem post tot laudes jure quis possit exspectare. Secundum R. Lee (ut Kilian commemorat) ex 127 matribus 23 moriebantur, secundum professorem Halbertsma[2]) ex 100 matribus 39—39,5.

Etiam haec res tempore antiseptico in melius mutata. Nihilominus tamen Leopold (l. c. pag. 152) indicat, post perforationem factam matres mortuas esse secundum Spiegelberg et Winkel 17 resp. 14,6 %; secundum P. Müller Bernensem et Thorn Hallensem 12 %; secundum Merkel e clinica Lipsiensi 8 %, secundum Wyder e clinica et policlinica Gusserow 8,3 %.

Sequitur, quot matres post sectionem caesaream, tot fere etiam post perforationem periisse; infantes autem perforatione facta perire omnes, satis notum est.

Post sectionem caesaream igitur secundum ea, quae supra collegimus

---

[1]) Ferdut, E., l'avortement au point de vue médical etc. Paris 1865. pag. 103.

[2]) T. Halbertsma, Prof in Utrecht. Ueber Abwarten, Anlegen der Zange, Craniotomie und Wendung bei Beckenenge. in der nederl. Tijdschr. v. Geneesk. Sept. 1873. (Titulus citatur iuxta annales editos a Schmidt, 1874. tom. 161. Nro. 3. pag. 269.)

ex 200 hominibus circa 150—170 vitam servant, post operationes autem ad foetum diminuendum

ex 200 hominibus circa 80—90 animam retinent.

Ergo 70—80 homines sectione caesarea salvantur, qui diminutione foetus perirent.

Tales numeri, licet non exacte rem proponant, satis tamen ostendunt, sectionem caesaream et multorum infantium vitam conservare, neque matri „fere mortiferam“ esse, e contra operationes ad foetum diminuendum, quibus foetus certe interficitur, non raro et ipsas matri perniciosas, atque fere non minus periculosas esse, quam ipsam sectionem caesaream. Haec sufficere videntur, ut iam ratione utilitatis diminutio foetus vivi prorsus reiiciatur.

Hinc etiam tum, quum inter sectionem caesaream et diminutionem foetus eligendum est, quumque salus matris finem partus postulat, ipsaque sectionem caesaream permittere non vult, — medico nequaquam licet occidere foetum, etiamsi medici obstetricii aetatis nostrae fere omnes diminutionem foetus tunc indicatam habeant. Nihil aliud medico superest, nisi infantis vel etiam ipsius matris mortem, quam quidem remediis licitis arcere nequit, exspectare, ac deinde id quod ars edocet pro ea vita, quae remanet, perficere.

Sed omnibus catholicis haec quaestio pro dirempta habenda est, cum S. Officium nuper hoc decretum ad Cardinalem Archiepiscopum Lugdunensem emiserit:

Eminentissime et Reverendissime Domine!

Eminentissimi P. P. mecum Inquisitores Generales in Congregatione generali habita feria IV, die 28. labentis Maii, ad examen revocarunt dubium ab Eminentia tua propositum: „An tuto doceri possit in scholis catholicis, licitam esse operationem chirurgicam, quam craniotomiam appellant, quando scilicet ea omissa, mater et filius perituri sint, ea e contra admissa, salvanda sit mater, infante pereunte?“ Ac omnibus diu et mature perpensis, habita quoque ratione eorum, quae hac in re a peritis catholicis viris conscripta ac ab Eminentia tua huic Congregationi transmissa sunt, respondendum esse

duxerunt; *Tuto doceri non posse.* Quam responsionem, cum S. S. D. N. in audientia eiusdem Feriae et Diei plene confirmaverit, Eminentiae tuae communico, tuasque manus humillime deosculor, humillimus ac addictissimus servus verus.

Romae, 21 Mai 1884.

R. Cardinalis Monaco.

II. DE OPERATIONIBUS VITAE PERICULUM AFFERENTIBUS.

Operationes capitales adhibentur ad avertendum mediatum vel immediatum vitae periculum, nonnunquam etiam ad removendum malum valde deformans vel valde molestum.

Ad avertendum periculum vitae operationes capitales licent, quia loco mortis praevisae probabilitatem vel saltem possibilitatem salutis ponunt. Licent etiam tum, quum vitae periculum est mediatum sive remotum. Eam praesertim ob causam, quia plerumque, si diutius exspectetur, non solum periculum ex malo oriens crescit, sed in corpore etiam decrescit vis contra operationem eiusque effectus resistendi ideoque spes felicis operationis minuitur.

Aliter quidem iudicandum de operatione capitali, quae inservit ad removenda mala non mortifera, sed deformantia tantum vel valde molesta. Hic enim liceitas non videtur absolute admittenda esse. Distinguendum est inter haec duo: licetne aegroto, talem operationem petere? et: licetne medico, talem operationem exsequi, si ab illo petatur? Hoc posterius affirmandum esse puto. Quodsi aegrotus, de periculo operationis sufficienter instructus, tamen velit, ut operatio peragatur, medico licet eam peragere, dummodo prosperum inde exitum rationabiliter sperare possit. Num vero aegroto liceat, hunc in finem operationem capitalem petere, in universum iudicare non ausim. Potest quidem singulari alicuius hominis constitutione, conditione aliisque circumstantiis malum deformans seu molestum tam intolerabile fieri, ut ipsi ius concedendum esse videatur, vitam adeo miseram licet securam in periculum vocandi, ut, si res prospere

succedat, vitam agat ab hac molestia liberam, si male cedat, vitam hanc intolerabilem perdat. Solutionem huius quaestionis ne ex analogia quidem apud theologos inveni. Sed exemplum rem declaret. Fingamus, gravi atque iniusta captivitate quendam retineri, neque aliud ei adesse medium se liberandi, nisi quo vita in discrimen veniret; liceretne huic, hoc medio periculoso uti, ut aut libertatem acquireret, si res bene cederet, aut vitam hanc miseram captivitatis perderet, si male verteret? Equidem puto, ipsi hoc licere, si prosperum eventum prudenter sperare possit.

In singulis ergo casibus singulares aegroti conditiones, molestia plus minusve gravis ex malo proveniens atque spes prosperi eventus perpendenda, ex iisque iudicium ferendum erit. Peropportune tamen accidit, ut huiusmodi casus rarissimi sint.

Alia deinde est quaestio, num quis obligari possit, ut operationem capitalem subeat, sive ad certum vitae periculum avertendum, sive ad malum aliquod valde deformans aliisque molestum removendum. Hoc posterius, ut patet, negandum est. At etiam ad avertendum certum vitae periculum iuxta gravissimos theologos nemo tenetur, subire operationem gravem, quae et ipsa capitalis quidem sit, sed admittat spem vitae servandae. „Non teneris vitae servandae causa pati amputationem cruris sive brachii, aut incisionem ventris ad extrahendum calculum.“ (Liguori.[1]) Qua in re advertendum tamen esse puto, hanc sententiam pro praesenti medicinae et chirurgiae statu idcirco forte iam minus convenientem videri, quia operationes difficiles nunc circumstantiis plane mutatis ac plerumque meliori successu peraguntur quam antea. „Non tenetur quis,“ ait Gury (ibidem), „servare vitam remediis extraordinariis, quaeque *maximum dolorem* afferant; non datur enim obligatio servandae vitae, nisi mediis ordinariis, quae magna non adducunt incommoda . . . neque dolores valde acerbos causant.“ „Quum,“ ut loquitur Scavini,[2] „servare vitam

---

[1]) Cfr. Gury, tract. de V praecept. 391, 3.

[2]) Scavini, Petr., Theologia moralis universa. Editio III Parisiensis, Parisiis 1859. Tract. VII, disp. II, cap. 1, art. 1, § 2, quaest. 3.

operatione *dolores nimis atroces* afferente extra communes vires positum sit.“ Illud igitur, cui in hac sententia summa vis tribuitur, sunt dolores atque incommoda operationis. Quid vero, quum pleraeque operationes difficiliores nunc ope narcoseos chloroformii sine ullo fere dolore perficiantur? Haeccine *voluntas,* cum aliqua probabilitate mortem certam operatione in se minime dolorosa effugiendi, communes hominum vires superat? Adhibito chloroformio operationem sine dolore perfici posse, etiam imperito iam satis compertum est, multumque valet ad deminuendam anxietatem timoremque operationis difficilioris. Quae quidem ad quaestionem nostram solvendam certe alicuius sunt momenti. Quamvis deinde curatio vulnerum operatione effectorum postea dolores afferat, hi tamen generatim non atrociores, plerumque minus sunt atroces, quam illi, quos morbus ipse, quo operatio necessaria fiebat, excitavit, quosque aegrotus etiam sine operatione perferre debuit. Praeter dolorem insuper ratio habenda est deformitatis v. gr. alicuius membri amittendi, quod fortasse tanquam effectus operationis salvificae exspectandum est. Etiam huic malo ars technica huius aetatis valde emendata levamen, atque saepius verum remedium praebet. Dentes, artus etc. arte facti, qui deformitatem tollunt, ipsamque amissarum partium actionem plus minusve perfecte compensant, hodie conficiuntur ea perfectione, quam antea ne opinari quidem poterant.

Quapropter sententia theologorum de hac re hucusque vulgata videtur vel posse, vel forte debere temperari. Equidem tamen rem diiudicare minime intendo.

Una autem est operatio, de qua maiori cum confidentia iudicium proferre audeo; sectionem dico caesaream. Si conditio talis est, ut via ordinaria partus solum diminutione foetus fieri possit, vel etiam talis, ut ne diminutus quidem foetus via ordinaria expelli possit, — id si accidit, iuxta leges artis medicae et morum sectio caesarea indicatur. Omissa enim sectione caesarea in priori casu foetus post mortem suam eiici quidem potest, at nonnisi operatione matri dolorosa ac semper periculosa. Posteriori vero in casu sine sectione caesarea tum mater tum foetus certe peribunt. Mater ergo interrogata, num sectionem

caesaream subire velit, considerare debet non solum suam ipsius, sed etiam foetus salutem, qui sine sectione caesarea certe peribit. Non licere foetum occidere, ut mater salvetur, supra diximus, nunc quaeritur, liceatne matri, foetum mori sinere, si sectione caesarea cum aliqua probabilitate salvari possit.

Quodsi foetus mortuus diminutus via ordinaria expelli possit, matri, omissa sectione caesarea, certe pericula huius diminutionis perferenda sunt. Quae pericula, ut antea ostendebatur, fere tanta sunt, quanta sectionis caesareae, praesertim quum exspectando mortem foetus sine dubio valde debilitentur vires matris, quae propterea in circumstantiis minus idoneis operationem subire debet. Horror, quem operatio iniicit, cui tantum ponderis afferunt theologi (cfr. Gury-Ballerini, pag. 385 not. VI), si necessarium est, narcosi chloroformii fere tolli potest; peritia autem medici, quam pariter l. c. postulant, non minus necessaria est ad foetus diminutionem, quam ad sectionem caesaream rite perficiendam, nullius ergo est momenti, si inter utramque operationem eligendum est. Unde si vires et matris et foetus sint huiusmodi, ut utriusque salus prudenter sperari possit, matrem puto teneri, sectionem caesaream permittere.

Multo magis haec valent altero in casu, in quo ne diminutus quidem foetus via ordinaria expelli potest, sive, ut aiunt medici, in indicatione absoluta sectionis caesareae. Tum mater tum infans hic certam exspectant mortem; mater autem, si iam ad suam vitam tuendam sectionem caesaream subire tenetur, multo magis, ubi utraque vita forte servari potest. Est quidem hoc medium, ut aiunt theologi, medium extraordinarium ad servandam vitam, at minime tam horrendum, quam, qui non est medicus, existimat, praesertim quum magna horroris pars tolli possit adhibito chloroformio. Ceterum multae adhuc sectiones caesareae fiunt chloroformio non adhibito saepiusque mihi dabatur occasio observandi, dolores huius operationis etiam sine chloroformio peractae, dummodo ordinaria non desit animi fortitudo, minime esse intolerabiles.

Timor, qui praecedit, peior est operatione ipsa, quia incisio ventris atrocem horrorem hominibus incutere solet. Diminutio

foetus eiusque extractio iuxta observationes meas plus doloris afferunt quam sectio caesarea; imperito autem illa minus horroris iniiciunt, quia sic extractio via ordinaria fieri potest, vulneraque ac laesiones directe efficiendae foetus tantum, non matris corpus percutiunt.

Ultimis temporibus multum agitantur operationes quaedam, quas silentio praetermittere non licet, id est castratio mulierum et operatio quae dicitur Porrensis.

Castratio in eo consistit, quod ovaria mulieris ob aliquam rationem exstirpantur. Mihi quidem hucusque nondum innotuit, castrationem ab ullo commendatam esse etiam ad steriles faciendas mulieres. Sed commendatur haec operatio multis aliis ex causis, vel quod tumores aliaque vitia horum organorum periculum vitae afferant, vel quod cum ovariis nervorum quidam morbi cohaerere videantur, qui et longinquitate et vehementia vitam adeo faciunt intolerabilem, ut ovariorum exstirpatio licita esse indicetur. Sed cum nondum constet, quatenus hi nervorum morbi cum ovariis cohaereant, haec quaestio etiamdiu in aliquo discrimine versabitur, donec rerum demum experientia conditiones, quando operatio illa liceat, accuratius possint statui. Quare nunc contra castrationem vix quidquam ex parte morum et honestatis obiciendum est, dummodo ne fiat vel ad sterilem faciendam feminam vel adhibeatur leviter vel sine necessitate.

Paulo aliter iudicemus oportet de operatione Porrensi. Eduardus Porro, professor Paviae, deterritus sectionis caesareae in Italia et Francia exitu infelici, qui e profluvio sanguinis ingenti saepe et cruento repetendus esset; confirmatus contra exitu felici, quem exstirpatio uteri et ovariorum in feminis non gravidis habebat, sectionem caesaream anno 1876 alio modo instituere coepit.

Nam cum aliquando in sectione caesarea sanguinis profusio sedari non posset, is infantis corpore extracto, etiam uterum et ovarium exstirpavit idque felici cum successu. Quem statim alii chirurgi in Francia, Germania, Austria secuti sunt aut eodem aut minori successu. Neque tum solum adhiberi coepit, quando ex sanguinis profluvio periculum vitae aderat, sed etiam quando

uteri vel ovariorum texturae depravatae erant vel quando tumores in his partibus inveniebantur. Ac ne his quidem terminis se continebant medici, quos iustos ac rectos esse omnes nos concedimus; sed in dies plures iudicabant, propter pelvim angustiorem tantum, ubi hucusque sectio caesara fiebat, operationem Porrensem faciendam esse, id est, etiam tum, si neque corruptio carnium adesset, neque sanguinis profluvium vitae periculum afferret, sed ob id solum, ut mulier non iam concipere posset neque unquam operationi caesareae subicienda esset. Qua in re meo quidem iudicio fines honestatis transgrediuntur medici. Mulier enim, quae si forte gravidatur, propter pelvim nimis angustam sola sectione caesarea partum edere potest, in vita periculo versatur valde remoto. Nam primum est incertum, utrum denuo gravidetur; deinde partus per sectionem caesaream effectus non semper vitam in periculum adducit. Quid ergo? ut avertas periculum tam remotum, num vis sterilem facere feminam, idque ea operatione, quae non minus periculosa est quam sectio caesarea? num fertilitatem impedire, matrimonii conditionem perdere, munus et naturam feminae destruere ac delere vis? Id igitur quamvis pulchrum et captiosum videatur, ut hac ratione mulieres a futuris sectionis caesareae periculis serventur, tamen nihilominus, si ius naturae legesque morum Christianorum respicias, nequit haberi licitum. Ceterum nunc ipsum gravissima disputatio exorta est, cum in dies plures existant, qui solis rationibus medicis veterem illam sectionem caesaream defendant.

Si quis exinde quaerat, quid de liceitate vel obligatione in ceteris operationibus obstetriciis dicendum sit, iam patet, hae si rite absolvantur, nihil dubii intercedere posse. Quodsi enim forceps, sicut et operatio versionis partusque praematuri arte facti suo tempore aptoque modo adhibeantur, nihil aliud efficiunt, nisi ut partus ad salutem *tum* matris *tum* foetus finiatur. Partus praematurus arte factus i. e. partus eo tempore effectus, quo praegnatione quidem nondum finita foetus tamen iam satis evolutus est, ut a matre separatus per se vivere valeat, — partus dico praematurus maxime forte inter illas operationes potest periculum aliquod inferre, quandoquidem foetus membra nondum

perfecte evoluta effectibus externis mutatoque nutritionis modo nondum satis paria sunt. De hac operatione quaestio tunc primum exoritur, quum ex una parte certum est, partum finita praegnatione sine operatione, quae in periculum adducit vitam matris et foetus, vel etiam (ut omittam sectionem caesaream) sine diminutione foetus fieri non posse, et quum simul ex altera parte prudenter sperari potest, fore ut priori tempore foetus sine magno periculo matris *vivens* et ad vitam separatam aptus nasci possit. Hoc in casu mater non tenetur, cum periculo vitae suae finem praegnationis exspectare. Licet ergo partum praematurum arte procurare, atque mater ratione vitae propriae servandae forte tenetur, hanc viam eligere, ut liberetur ex fatali sua conditione, praesertim quum hic de magnis doloribus ac de insuperabili horrore sermo esse nequeat.

Idem multo magis forte valet in secunda serie indicationum pro partu praematuro arte efficiendo: in morbis sc. periculosis aliisque in casibus, qui matri accidunt tempore praegnationis, si salus matris partu praematuro arte facto possibilis vel verisimilis evadat. Si enim mater moreretur ante partum, foetus pariter summo in periculo versaretur, quare et hic partus praematurus arte factus *et* matri *et* foetui salutaris est.

Denique hoc loco facienda est mentio sectionis caesareae post mortem matris peragendae. Si mulier praegnans moriatur completa vigesima octava praegnationis hebdomada, sectio caesarea *ipsis legibus* praescribitur. Num recte hoc praeceptum coarctetur ad completam vigesimam octavam praegnationis hebdomadam, ut minimum dicam, in dubium vocari potest, si habeatur ratio baptismi foetui tribuendi. Equidem plane aliter sentio. Primis quidem mensibus praegnationis vix unquam sperandum est, fore ut ovulum sectione caesarea vivens extrahatur. Completo autem quarto fere mense sectionem caesaream facerem, dummodo ne graves habeantur rationes existimandi, foetum iam ante matrem vel simul cum matre mortuum esse; imprimis sectionem caesaream facerem, quandocunque mulieres praegnantes subitanea vel celerrima morte praeripiuntur.

Patet hanc operationem exsequendam esse quam citissime post mortem matris. Magnas difficultates haec in re nonnunquam occurrere posse, liquet considerantibus, quam difficile sit, certumdamnum acquirere de morte, praesertim si oriantur vel subito mors subsecuta sit. Haec autem ad medicum pertinent, cui consilium eiusque praesentia in conditione tam gravi imprimis necessaria sunt. Quantum vero potest medicus operationem perage? eadem cum cautione ac diligentia, ac si mulier etiamtum viveret, ita ut ne tunc quidem omnia pereant, quum mulier, quae valebatur mortua, adhuc vivat. Quid autem faciendum erit, si medicus statim haberi nequeat, si ille (rure) longe ab illo loco habitet, aut invenire non possit? — An clerico, qui plerumque statim accersitur, operatio peragenda est? Iam *fieri est* a clericis fortibus atque ardentibus. Attamen ut mihi videtur, hoc minime probandum est. Qua quidem in re assentiri nequeo Vering[1]) viro optime merito, qui necessarium esse putat, clericos sectionem caesaream nosse, atque adeo *officium* ipsis imponit, in extrema necessitate potius operationem per semetipsos exsequendi, quam foetum sine baptismo morti tradendi. Cui sententiae ut accedam, neque exclamationes adhibitae a Debreyne[2]) quidquam valebunt neque grave illud verbum, quo Macher[3]) utitur, „homines obstruses" eos vocans, qui sectionem caesaream aliquid clerico „indecens" dicerent. Indecens sectio caesarea clerico certe est: id, puto, explicatione non indiget. At nonne eodem iure clericus tota arte obstetricia instruendus esset, ut, si necesse, hoc munere fungi posset? Ita rure sine dubio nonnunquam aliquis foetus,

---

[1]) Vering, A. M. Handbuch der Pastoralmedicin. Munster, Aschendorff'sche Buchhandlung. 1855. pag. 257. Vering atque in hac re, ut patet, sententiam Cangliamilae sequuntur, qui (Embryologia sacra lib. II cap. XVI de obligatione clerici, perficiendi sectionem caesaream post mortem, fuse tractat.

[2]) Debreyne, P. J. C. Essai sur la theologie morale, considerée dans ses rapports avec la physiologie et la medicine. V. édition. Paris, librairie Poussielgue frères, rue Cassette 27. 1868. pag. 247.

[3]) Macher, Dr. Mathias. Pastoralheilkunde für Seelsorger. 4. Auflage. Augsburg, Math. Rieger'sche Buchhandlung. 1860. pag. 338. Anmerkung.

imo aliquando tum mater tum foetus salvari possent. Clerico certe non esset indecentius, suo tempore partum iuvare, quum placenta praevia est (qui quidem status et matrem et foetum summum in periculum adducit), et ita matrem simul ac foetum salvare, quam sectione caesarea fortasse foetum conservare. Discrimen in eo tantum est, quod in priori casu unusquisque absurdum diceret, clerico tale officium imponere, contra in secundo casu unus temere sequitur sententiam alterius; ita, aiunt, esto, quia — iam ita factum est, ergo posse fieri videtur. Hic autem error intelligitur ex eo, quod in imperito exsecutio huiusmodi operationis sine dubio est praeclara actio, et quod propter fortitudinem facile obliviscimur atque ignoscimus indecentiam. At non solum indecens, sed etiam periculosa est exsecutio huius operationis facta ab aliquo, qui medicinae est imperitus. Nam ut omittam difficultatem cognoscendi, num mors revera subsecuta sit, sectio caesarea non solum accuratum postulat cognitionem earum partium, in quibus versatur actio, sed magnam insuper exercitationem, quae imperito etiam tunc deerit, quum exactissimam huius operationis descriptionem memoria tenet. Sectio caesarea in corpore calido mulieris modo mortuae peragenda, est operatio, quae ipsum medicum vehementer commovet, praesertim quum haec operatio plerumque perficienda sit absque socio rei prudenti, quandoquidem in quaerendo socio tempus pretiosum perdi nec potest nec debet. Perturbatio e re ipsa oriens, anxia illa ad primam incisionem exspectatio, utrum forte mortua se moveat, profluvium denique sanguinis calidi, qui operandi obviam effunditur, haec omnia eiusmodi sunt, ut ipse tantum medicus propter notitiam, quam habet, operationis, et quia assuefactus est effusione sanguinis, servare possit quietem necessariam ad operationem salutariter perficiendam. Clerico autem, qui de hac operatione brevi tantum descriptione notitiam acquisivit valde imperfectam, quomodo ei imponi potest obligatio, in causa necessitatis talem operationem exsequendi? Nonne pauca illa, quae hac de re didicit, timore ac tremore, quem necessario in se sentiet, plane inutilia fiunt, ita ut prosper eventus vix sperari possit? — Nihil dicam de aliis incommodis, quae hic latent.

Quis defendet clericum a mala fama, quae ex tali actione laico plane inaudita oriri potest? Nonne vulgo dicent: „Quid ad illum? non pertinet ad eum?“

Si agitur de *casu necessitatis,* clerico non quidem *interdicta est* incisio auctoritate ecclesiastica. Habetur hic certe casus necessitatis; nihilominus aliud concedere non possum, nisi hoc, clerico, qui ad hoc satis aptum se reputat, *non esse interdictum,* sectionem caesaream exsequi. *Obligatio* autem adesse nequit; nam quum non tenear, mediis extraordinariis, quae horrorem magnum iniiciunt, propriam servare vitam, — certe non teneor, mediis extraordinariis servare vitam alterius, „quum id extra communes vires positum sit.“

Nuperrime commendatur a Dr. Max Bunge,[1]) sectionem caesaream esse faciendam in femina *moribunda,* id quod antea non usurpabatur nisi rarissime. „Si per medici diagnosin et prognosin, inquit, certo exspectatur, mulierem partui proximam brevi morituram esse; si praeterea foetus certo vivit et naturali pelvis via verosimiliter vix bene edi poterit; si denique exitus letalis proximus arceri iam non poterit, etiamsi partus artificiose incipiatur: tum fiat sine ulla mora sectio caesarea, ubi primum in muliere ea signa observantur, e quibus certo concludimus, vitam infantis prius quam matris vitam et brevissimo quidem tempore perditum iri (asphyxia matris, pressio sanguinis multum diminuta simul cum longa agonia, calor ingenter auctus); ex pulsibus cordis infantis interdum concludere poteris, instare hoc periculum.“

Nullo modo dubitari potest, quin, si vel moribunda consentit vel, quando mater sui non compos est, eius propinqui consentiunt, haec sectio sit licita. Sed negari non potest, quin „decorum quam maxime violetur“. Quodetsi Bunge decori rationem non habet, plerumque tamen a propinquis ob id ipsum potestas secandi non concedetur. Praeterea summa tantum cum

---

[1]) Dr. Max Bunge. Ueber Berechtigung des Kaiserschnittes an der Sterbenden etc. Zeitschrift für Geburtshülfe und Gynäkologie, IX. 2. 1883. pag. 245.

difficultate definiri potest, quando secare tempestivum sit. Nam aut diutius exspectatur, aut praemature secatur. Sin prius, infans mortuus extrahetur (etiamsi paulo ante de vita infantis tibi persuasisse videbaris), postquam diu scalprum matri admoveris; sin alterum, secatur in matre, quae videbatur moribunda, cui tamen morbus mortem nondum infert, unde discrimen mortis proximum sine necessitate sectione caesarea augetur. Has ob difficultates rarissimam existimo hanc operationem esse futuram.

III. DE MEDICAMENTORUM USU.

Si valetudo graviter perturbata mediis ordinariis restitui nequeat, infirmus data occasione consulat medicum atque praeceptis medici obtemperet, nisi media ab illo indicata molestiam extraordinariam afferant. [1]) Hinc s. Scriptura ait: Honora medicum propter necessitatem: etenim illum creavit Altissimus. Altissimus creavit de terra medicamenta et vir prudens non abhorrebit illa. [2])

Medicus magnam habet potestatem in corpus infirmi, quia infirmus ipse de mediis praescriptis judicare nequit, sed bona cum fide ac fiducia eis uti debet. At in hunc tantum finem Altissimus procreavit medicamenta, ut in salutem hominum adhibeantur, eamque et corporalem et spiritualem. Hinc ex natura rei pro medico hae sequuntur conditiones quoad usum medicamentorum:

1. Medicus semper iis uti debet mediis, quae iuxta id, quod scientia docet, *certa* sunt. Si remedia certa contra aliquem morbum non cognoscantur, illud praeferendum est, quod verisimilius ad salutem conducit.

2. Non licet medico, experientiam quaerere ex homine iis mediis, quorum effectum ipse ignorat, utrum scilicet nociva sint, an vero utilia. [3]) Potest tamen adhibere media, quae certo quidem

---

[1]) Scavini, l. c. tract. III, disp. II, cap. I, art. III, qu. 5.

[2]) Eccles. XXXVI.

[3]) Ita v. gr. novissimis temporibus ad varios fines vaccinationes institutae sunt ex secretis ulcerum syphiliticorum. Ceteris praetermissis, hae vaccinationes etiam adhibebantur ad finem diagnosticum. Quando enim dubium erat, utrum quis aegrotaret ex syphilide (syphilis latens) necne, ipsi

scit nocere non posse, quamvis ipsi non constet, utrum in praesenti casu profutura sint.

3. Infirmo, cuius salus iam sperari nequit, etiam tale remedium praeberi potest, quod utrum noxium an utile futurum sit, medico non constat, „ad infirmi salutem curandam." (At ne huc quidem ad experimentum faciendum pro aliis infirmis: est enim illicitum, quaerere experimentum in alterius vita.) „Nam conformius est prudentiae et voluntati ipsius infirmi, applicare illi remedium dubium, quam illud omittere cum certitudine mortis." [1])

Hae conditiones, praesertim illud inter dictum de quaerendo experimento, obligant *sub gravi*.

Tribus supradictis conditionibus plerumque quidem satisfit, saltem non violantur frequentius. Est autem aliquod remediorum genus, de quo paulo tutius agere iuvat quodque hac aetate communiter in usu est, haec sunt remedia narcotica (*dolorem lenientia, somnifera, sopientia*).

Dolor in omnibus fere morbis habetur ac saepius inter prima signa perturbatae valetudinis reperitur. Qualis autem sit dolor, magni momenti est tam diagnosi quam prognosi instituendae. Nihilominus praeter mortem dolor est illa morbi pars, quam homo maxime timet, quamque effugere vehementer cupit. Quare medici omnium aetatum dolores morborum lenire studuerunt. Vere stupenda sunt, quae hac in re nostra aetate effecta sunt, et de his sane licet gaudere. At nonne limites tamen sunt in adhibendis his remediis? Et hi limites nonne saepius posthabentur?

Nemini quidem dubium est, quin liceat, dolores ope medicinae minuere, modo ne remediis adhibitis sanatio morbi retardetur, aut valetudini vel vitae directe damnum vel periculum

---

inseritur virus ulceris syphilitici recens. Si ille homo syphiliticus erat, vaccinatio sortitur effectum, contra si syphiliticus non erat, eo loco, ubi vaccinatio facta est, ulcus syphiliticum exoritur. Priori in casu experimentum homini illi probabiliter non nocebit, in altero autem damnum grave ei infertur; etenim homo antea non syphiliticus insitione syphiliticus evasit. Quare vaccinatio secretis ex ulceribus syphiliticis facta ut adiumentum diagnosticum admittenda non est.

[1]) Scavini, l. c. tract. III. disp. II. cap. I. art. III. qu. 3. R. 2.

ST ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

afferatur. Remoto enim dolorum non valet tantum, quantum restituto vel conservato ipsius valetudinis. Loquor hic solummodo ex persona medici, omittens ea omnia, quae de dolore ratione morum atque asceseos dici possunt.

In adhibendis igitur remediis dolorem lenientibus potest quis peccare vel eo, quod portionem praebeat nimis magnam, valetudini nocivam, vel eo, quod haec remedia frequentius adhibeat, ita ut naturam hisce assuefaciat ac systema nervorum paulatim pervertat. Quod vitium aetate nostra valde frequens esse, certe nemo negabit.

Postquam inventa est methodus medicamenta sub cutem inficiendi (iniectio subcutanea), multa illa incommoda vitare possumus, quae ex remediorum narcoticorum usu per stomachum saepissime nascuntur. Haec utendi commoditas atque effectus certitudo iniectionem subcutaneam valde acceptam reddidit, sed eadem abusum induxit non satis dolendum. Usitatissimum remedium ad dolorem leniendum est *morphium*, quod nunc plerumque sub cutem inici solet. Dolor valde exiguus vulneris aeu puncti, ex quo effectus adeo prompte ac certo sequitur, tantopere allicit, ut nonnulli medici, ubicunque de magno dolore quis queritur, statim siphunculum arripiant ad morphium iniiciendum. Neque multa contra hunc usum dicenda essent, nisi mox effectus inde sequerentur pessimi. Nam quum plerumque lenito dolore nondum simul ipsa causa doloris removeatur, desinente vi morphii dolor redit, neque raro etiam vehementior, quia *morphium* saepissime in systemate nervorum vim resistendi debilitat. Iamvero infirmus lamentans ac querulus alteram petit iniectionem. Quam si impetrare non valet, impensius rogat, ac demum medicum graviter incusat. Medicus rursus ei indulget atque ita omnia repetuntur. In morbis acutis, non nimis diuturnis, si quidem medicus aliqua cum severitate agere sciat, operatio non nimis saepe recurret, ac damnum illatum mox resarcietur. Quid vero fiet in malis diuturnis, chronicis ac dolorosis? Sive volens sive coactus repetitis querelis infirmi, qui iam cognoscit remedium doloris, medicus operationem fatalem repetit, vis doloribus resistendi in infirmo magis magisque decrescit, iniectio in dies postulatur frequentius.

Tandem medicus, sive commoditate motus, sive ut evitet querelas toties repetitas, ad ultimum progreditur (praesertim si malum est chronicum atque insanabile), tradens infirmo vel propinquis infelicem siphunculum ad morphium iniiciendum et morphii solutionem, quo demum facto infirmus rapidissime ad interitum ruit. Tunc iniectio repetitur frequentius, augetur portio morphii, decrescit vis resistendi, usquedum tristis imago aviditatis morphii perfecte exculta est. Infirmus modo lividus et torpens est, modo excitatus; molesti caloris ac frigoris impetus sese excipiunt. Trepidat ut potator, donec morphium sumpsit. Insomnia, fastidium cibi, difficultas, cibum concoquendi in dies eum magis debilitant. Morphium autem si huic misero adimatur, frigora oriuntur, dolores per totum corpus, diarrhoea vehemens; perturbatio animi atque anxietas cum absoluta insomnia nonnunquam accrescunt usque ad ipsum furorem. (Delirium tremens ex morphii abusu. Levinstein.[1]) Neque raro accidit, ut sive subito sive praecedentibus variis nuntiis perfectus collapsus subsequatur. Quae quidem res valde sollicitantes efficiunt, ut a conatu adimendi infirmo morphium mox discedatur, et aegrotus revertatur ad terribile suum „remedium“. Mox animi remissio exoritur usque ad torporem, sequuntur illusiones atque hallucinationes initio quidem rarius, mox frequentius; denique mentis alienatio vel mors voluntaria nonnunquam huiusmodi „curationis“ finem constituunt.

Quid igitur? Talia num possunt permitti? An forte rem verbis extollo? Nonne unusquisque fere medicus iam tales miseros vidit? Nonne casus huiusmodi in quacunque ephemeride, quae de rebus medicis tractat, exponuntur?

Iuxta pharmacopoeam germanicam non licet plus morphii sumere in die quam 0,12 grammata. Advertendum est simul, has portiones maximas non ad diuturnum, sed ad brevem usum determinatas esse. Morphiophagi autem brevi usque ad 0,2—0,5 gr ascendunt, ac denique usque ad 1,0 vel etiam usque ad 3,0 gr pro die, pari fere ratione, ac si ille, qui cum duas lagenas vini

---

[1]) Levinstein, Dr. Ed. Die Morphiumsucht. Berlin 1877. August Hirschwald.

bibat, tamen ebrius non fit neque sanitatem mentis amittit, paulatim augendo copiam eo deveniret, ut 20 vel 30 lagenas biberet. Quod certe licere nequit. Culpa autem huius rei per partem quidem in aegroto illo imprudenti est, maxima tamen culpae pars recidit in medicum. Iniquissimum certe est, remediis adeo periculosis tam leviter, atque temere uti. Atque eo devenit, ut locis illis infortunatis, ubi talis habetur medicus, subcutanea morphii iniectio ab ipsis imperitis adhibeatur tanquam medium diaeteticum. Artifices, qui instrumenta fabricantur, multum ibi negotiantur siphunculis ad morphium iniiciendum, quos non quidem medicis sed imperitis in rebus medicis vendant, ut plures artifices fide digni mihi confirmarunt. Quare sane dolendum est, medicum tantam habere potestatem in medicamentis distribuendis, ut etiam quantitatem morphii ad abusum requisitam dare possit, neque legibus impediatur. Licet hac in re unus vel alter ex collegis meis contra me exsurgat; equidem nihilominus permaneo in sententia mea, ut dicam remedio hoc valde utili, ac non satis aestimando, complures medicos male uti. Sed haec ideo exposui, ut confessarius data occasione id interdicat atque ex iis, quae de moribus et de legibus divinis praecipiuntur, impediat ea, contra quae hucusque leges humanae nihil valent.

Facere non possum, quin hic etiam de sanatione morphiophagi loquar. Saepius mihi erat occasio tales observandi, tum in domo, qua detinentur mente capti, ubi per multos annos medici munus administravi, tum in curationibus privatis. Ex hac mea experientia assentiri debeo sententiae eorum, qui affirmant, primum requisitum ad hoc, ut morphiophagus sanari possit, id esse, ut medicus infirmum *perfecte* in sua potestate habeat. Vix creditur, quanta cum pertinacia in querelis minisque acerbissimis, quanta cum astutia ac dolo morphiophagus venenum desideratum sibi comparare studeat. Tum haec, tum effectus sollicitudinem afferentes, quos ex privatione morphii oriri dixi, et custodes et propinquos impellunt, ut etiam inscio medico iterum dent morphium, unde omnis prosper evertus irritus fiat. Cognovi equidem medicum, qui firmiter statuerat, ab aviditate morphii se liberare ideoque curae cuiusdam collegae se commisit. At paulo post

ipse collegae confessus est, se fefellisse eius attentionem et morphium ipso inscio sumpsisse. Simile quid narrat Leidesdorf de medico quodam iuniore, qui experimenti causa se fecit morphiophagum, ac denique in institutum Leidesdorfianum se contulit, probe intelligens, se nunquam sanatum iri, nisi a tertio quodam libertate privaretur. Morphiophagos oportet transmittere in institutum aliquod bene gubernatum, in quo custodes habentur recte instituti. Interdum hospitium mente captorum maxime idoneum videtur, quia ibi tantum coarctatio libertatis permittitur atque effici potest. Quae privatio libertatis nullam peccati culpam habet, nam in infirmis istis vis resistendi adeo exigua est, ut tanquam ex parte amentes considerandi sint. Recipientur autem in hospitium mente captorum ibique libertate privabuntur eo facilius, quia his infirmis generatim facile persuadetur, ut sua sponte in hospitium ingrediantur suscipiantque libertatis privationem brevi finiendam.

Clericus de miseris istis infirmis optime mereri potest, si, aliis remediis domi frustra adhibitis, iis persuadere conatur, ut sua sponte in hospitium aliquod aptum ingrediantur, ostendens, eos domi sanari non posse, in hospitio contra, quantum opinari liceat, celeriter a tantis cruciatibus liberatum iri. (Cfr. ea, quae infra de curatione mente captorum dicentur.)

Curatio ipsa apud eos, qui non sumpserunt portiones nimis magnas (non plus quam 0,2—0,3 gr pro die), in repentina, atque perfecta morphii privatione consistit.[1]) Periculosi autem effectus hinc orientes aliis remediis sedantibus (balneis, kalio bromato, chloralo hydrato) depellendi sunt, augendae simul vires cibis succulentis vinoque valido. Hoc modo sanatio plerumque intra 3 vel 4 hebdomadas perfecta erit, raro diutius protrahetur ad summum 8 hebdomadas requiret.

---

[1]) Si quis vero summis forte portionibus (1,0—3,0 gr) est assuefactus, secundum Leidesdorf privatio gradatim quidem, at celeriter tamen exsequenda est. Deminuatur aegroto statim portio usque ad 0,05 vel 0,1 gr pro die, celeriter descendendo, ita ut saltem secunda hebdomada finita privatio perfecta sit.

Perniciosior quam morphii cupiditas est illa, quae ultimis temporibus grassatur, cupiditas cocaini. Cocainum et corpora et animos multo clerius et vehementius perdit ac destruit, quam morphium. Secundum Erlenmeyer [1]) Cocainistae adeo lamentantur, ingemiscunt, adeo infirma sunt voluntate et debilitati, adeo alia atque alia irritamenta postulant, ut multo etiam pessimos Morphinistos superent. Hallucinationes, animi et perturbationes et infirmitates, mania persecutoria fere sine exceptione vitam horum hominum concludunt. Quare cupiditas cocaini (ut Erlenmeyer dicit) multo difficilius curatur, quam morphii atque aegrotus per 4—6 menses sub custodibus bene clausus teneatur necesse est.

Omissis quibusdam aliis remediis minus frequenter adhibitis, quorum effectus minus perniciosi sunt nec tam celeriter se manifestant, transeo ad *remedia sopientia,* quorum usitatissima sunt *aether, gas nitrogenii oxydulati (Lachgas, Gaz hilarant)* et imprimis *chloroformium.*

Chloroformium eiusque usus in operationibus chirurgicis peragendis sane magnum est beneficium generi humano tot doloribus obnoxio. Quidquid vivit, dolorem fugit ac timet, imprimis eum dolorem, quem operatio aliqua, licet necessaria, affert. Hinc trepidatio illa ac timor majorum operationum omnis generis, hinc incurvationes atque renisus sub manu chirurgi. Timor autem doloris, vel dolor ipse, vel effectus illi, qui timore doloreque in systemate nervorum provocantur et non raro letales sunt, denique renisus atque agitatio valde molesta aegrotorum doloribus vexatorum, magna olim erant impedimenta chirurgiae utiliter exercendae. Nunc vero quomodo mutata sunt omnia! En aegrotum prorsus tranquillum sopore chloroformii, carentem dolore, libero voluntatis exercitio atque renisu. Perfecta cum quiete operatio firmiter ac diligenter perfici potest, aegrotus autem expergefactus, quum dolor pro rerum circumstantiis sit exiguus, non laborat nisi ex effectibus soporis chloroformii raro molestioribus. Quod sane miseris aegrotis magni est momenti magnumque beneficium.

[1]) Erlenmeyer, Ueber Cocainsucht. Deutsche Medicinal-Zeitung, 1886, Nro. 48.

Habetur tamen etiam hac in re aliquid incommodi; nonnunquam enim ex causis aliquando notis aliquando occultis intra narcosin chloroformii mors subintrat. Qui quidem casus licet non sint valde frequentes (a nonnullis computatur unus inter 10,000), monent tamen, ut caute agatur. Imprudentissimum sane est, hac de causa chloroformium omnino reprobare, minimeque certe probandum, quod ait Clarus[1]) hac mortis possibilitate motus, „chloroformium inter felicissimos progressus, quos ars medicinae novissimis temporibus fecit, computandum *non* esse.“ Postulat autem haec tam mali exitus possibilitas

primo, ut ante chloroformii usum diligenter inquiratur, num forte constitutio infirmi sit talis, quae, ut experientia docet, adhibito chloroformio facile mortem afferat,

secundo, ne chloroformium adhibeatur, nisi quando necessarium sit, i. e. tunc tantum, quum modus et gravitas operationis, dolores valde vehementes, vel diuturnitas rei usum chloroformii valde utilem vel necessarium reddant.

Contra utrumque non raro peccatur et quamvis non semper malus exitus hunc usum temerarium puniat, talis agendi modus non minus idcirco reprehensione dignus est atque illicitus. Enumerare quidem hic non possum operationes illas, quae chloroformium postulant vel vetant, longum est; praesertim quum magna ex parte hoc dependeat a singulis circumstantiis singularique infirmi constitutione, quare praecepta certa dari nequeunt. Satis sit, ut dicam generatim, neque infirmo neque medico licere, sine gravi causa chloroformio uti.

Sed de usu chloroformii in arte obstetricia hic pauca addam. Inter ceteros praesertim Angli iam diutius chloroformio in obstetriciis utebantur. Nunc etiam in Germania a nonnullis hic usus commendatur. Praesertim in illis operationibus obstetriciis, quae plerumque magnos dolores afferunt ac plus minusve permanent, eadem chloroformio iura tribuere volunt, quae in chirurgia iamdudum occupat. Ac primo quidem intuitu haec iusta videntur. Nemo tamen poterit negare, operationes obstetricias etiam dolorosissimas, sectione caesarea minime exclusa, quamvis

[1]) Clarus, D. I. Handbuch der Arzneimittellehre, Leipzig 1856, pag. 966.

laesiones in iis fiant maximae pluresque earum etiam diu perdurent, generatim multo facilius perferri, multoque minus anxietatem ac terrorem iniicere, quam alias operationes cruentas forte minus graves. Excepta una sectione caesarea, cui quondam ut medicus assistens adfui, omnes operationes obstetricias, quae in usu sunt (etiam laparotomiam), perfeci, quarum plures saepissime peragendi mihi fuit occasio. Nunquam in his chloroformio usus sum, semperque animadverti, dolores ex operatione provenientes quoad effectus, quos in systemate nervorum operatio producit, non esse multo vehementiores iis doloribus, qui physiologice puerperio sunt proprii. Negari insuper nequit, quin in compluribus operationibus obstetriciis medico valde incommodum sit, mulierem musculos suos non habere in sua potestate! Nihilominus tamen certe consentire possumus cum Schröder,[1]) qui affirmat, narcosin in operationibus obstetriciis *generatim* magnum esse beneficium mulieri magnumque etiam levamen medici. Usum chloroformii hic licere certum est, dummodo vita prolis in periculum ne vocetur. Iam vero quid dicemus de usu chloroformii in partu ordinario, in quo praeeuntibus Anglis nunc etiam in Germania chloroformium iam saepius adhibetur? Bene advertatur, hic non agi de doloribus *anomalis, spasmaticis* etc., sed de doloribus, qui ex ipsa partus natura per se oriuntur, quique sine dubio nonnunquam acerbissimi esse possunt. Etiam in his ordinariis partus doloribus iudico mitigationem ope chloroformii quaeri licere, si nec mater nec proles chloroformio detrimentum capere possunt. At hoc ultimum hucusque cum certitudine diiudicari nondum potest. Ut praetermittamus, matrem inter narcosin subito posse decedere, nemo hucusque negavit, prolem, si mater utatur chloroformio, adduci in periculum. Tum experientia tum inquisitiones ad hoc institutae ostenderunt, chloroformium in prolis quoque organismum transire.[2]) Atqui exspectare certe licet ex

[1]) Schröder, Professor Dr. Carl, Lehrbuch der Geburtshülfe. IV. Auflage, Bonn 1874. pag. 200.

[2]) Zweifel (Berliner Klinische Wochenschrift 1874, Nr. 21) quinque enumerat casus, in quibus chloroformium inventum sit in placenta sive urina infantium, quorum matres tempore partus chloroformio usae erant.

una parte, organismum infantis tali veneno minus fortiter resistere; ex altera propter defectum respirationis directae timendum esse, ne *chloroformium* hic non tam celeriter e sanguine secernatur ideoque facilius mortem inferat. Item matri praeter effectus ordinarios narcoseos (vomitum etc.) aliud accedit periculum ex eo, quod contractiones musculorum uteri fiunt minus validae, quod partus lentius procedit ac post partum ex nimis lenta contractione uteri periculum oritur vehementioris profluvii sanguinis. Ipse Schröder, qui usum chloroformii in partu ordinario, *si dolores sint paracerbi*, defendit, has difficultates non negat, quapropter ille chloroformium non concedit nisi adhibeatur ita, ut dolores tantum minuantur, mulier autem maneat sui compos. At ille idem ante aliquot lineas dixerat, narcosin absolutam (cum stupore) in parturientibus „non raro iam post paucas aspirationes (sc. chloroformii) accidere." Quare quid habes praesidii contra effectus narcoseos?

Ex dictis iam puto satis liquere, usum chloroformii in partu ordinario *non licere*. Dolores ex ipsa rerum natura orientes interdum paracerbi sunt, sed nunquam tanti, ut ferri non possint, plerumque a muliere fortiter sustineantur, et facilius, quam putaveris, oblivioni dantur. Quodsi mores effeminati ac mollities nostrae aetatis plures medicos incitavit, ut has molestias ex ipsa rerum natura orientes, posthabito etiam periculo gravium damnorum, arte mitigarent, mihi quidem hoc minime approbandum videtur. Educentur feminarum tum corpora tum animi ita, ut sint fortes atque animosae, ut bene comprehendant magna sua munera atque officia: quod si factum fuerit, auctor sum et affirmo, eas inter dolores partus chloroformium non postulaturas, sed maiore cum dilectione ac patientia amplexuras esse infantulum illum, cui inter dolores vitam dederunt.

Superest, ut medium quoddam commemorem, quod his diebus alicuius momenti esse coepit: magnetismus naturalis, qui hodie hypnosis appellatur vel hypnotismus vel sanatio, quae inter somnum hypnoticum perficitur suggestione et opinione, se revera sanatum esse. Priorum quidem temporum medici magnetismum putabant esse fraudem vel amentiam; sed nunc timendum

est, ne numerus haud exiguus medicorum clarissimorum nimia cum fiducia huic arti dent operam. Non est huius loci, tractare, quibus rationibus hypnosin artificiosam explicare studuerint vel quae tentamina per hypnosin facta sint. Nostrum est declarare, id quod omnes spectatores uno animo consentiunt:

1. Hypnosis artificiosa efficit, ut hypnotisatus ille prorsus a hypnotisatore dependeat idque adeo, ut per totum tempus hypnoseos prorsus et ratione et voluntate careat atque etiam, postquam ex somno experrectus fuerit, voluntate non sit libera.

2. Nervorum totum systema vehementissime hypnosi excitatur: tam vehementer, ut non raro iam in primo conatu status nervorum metum iniiciat et, cum saepius idem in eodem homine repetatur, gravissimi saepe morbi, spasmi, paralysis, interdum mentis alienationes inde oriantur.

Theologi adhuc magnetismi animalis effectus esse res maxima ex parte daemoniacas putant.[1]) quia in hominibus, qui in sopore magnetico versantur, effectus apparent, qui causis naturalibus adscribi nequeunt: oculis clausis legere libros apertos vel clausos, scriptos in linguis variis, ceteroquin ipsis prorsus ignotis, — explicare suos, imo et aliorum morbos terminis technicis, quos alias plane ignorant, — partes interiores corporis humani describere, ac si eas oculis cernant, licet alias nihil hac de re intelligant, — morborum diuturnitatem exacte praenuntiare, remedia simplicissima atque efficacissima contra morbos praecipere, licet sint plane indocti atque inscii harum rerum et ex statu magnetico educti nihil omnio de rebus peractis sciant etc. etc.[2])

Quare quandoquidem is blasphemiam committeret, qui assereret, Deum iussu hominum, ac saepius improborum, semper immediate agere legesque naturae a se constitutas tollere,

---

[1]) Cfr. notas Ballerini ad Gury l. c. tom. I. pag. 238. seqq. — Porro: Jo. Perrone S. J. Praelectiones theologicae de virtute religionis deque vitiis oppositis, nominatim vero de Mesmerismi, Somnambulismi et Spiritismi recentiori superstitione. Ratisbonae et Neo-Eboraci, 1866. (Pustet.)

[2]) Cfr. Gury l. c. tom. I. pag 248. Postulatum Episcopi Lausanensis circa magnetismum.

quotiescunque istis hominibus placeret, eventa illa supernaturalia tantum daemonum industriae adscribenda sunt.

Quodsi verum est, res supra expositas in magnetizatis accidisse, Debreyne[1]) errare videtur, qui ait: „Tous ces prétendus phénomènes magnétiques doivent, suivant nous, être attribués à l'artifice humaine, c'est à dire à la jonglerie, à la collusion et au compérage et non à l'intervention d'un agent surnaturel ou du démon."

Sed etiam tum, si illud omittam, utrum *daemones* in experimentis, quae dicuntur, magneticis vel in somnambulantibus vim aliquam exercere possint, equidem vetitum censeo, hypnosin inter medicamenta et remedia recensere et adhibere

1. quia iam in se illicitum est, suam rationem ac voluntatem alteri cuidam (hypnotisatori) ita absolute subiicere, ut hic animum et corpus (hypnotisati) dirigere, iisdem uti atque abuti possit ad libitum, id quod semper fit, quum quis in statum soporis hypnotici adducitur;

2. quia usus hypnoseos repugnat officiis hominum ergo vitam ac valetudinem, quum ex sententia etiam eorum, qui usum hypnoseos defendunt, graves morbi corporis et animi magnetizando adduci possint.

Idem nimirum de interrogatione eorum hominum, qui in somnambulismo spontaneo versari videntur, valet, quae idcirco fieri solet, ut optimus sanandi modus vel optima remedia pro aliquo aegroto innotescant, quandoquidem et illorum responsa aut fraudulenta sunt aut daemonica. —

Hisce expositis nonnulla hic adiungere liceat de duabus rebus, quae ad medicamenta quidem non pertinent, ad quas vero tractandas aptiorem locum non invenio, de *vaccinatione* dico, et de *nutricibus*.

De vaccinatione.

Praesertim posteaquam in regno Germanico lege sancitum est, ut omnes vaccinationi se subiicere teneantur, vehemens contra

[1]) l. c. pag. 275.

hanc exarsit repugnantia, quae licet a paucis excitata, a Germania etiam ad alias regiones se extendere videtur. Praetermissis exprobrationibus quibusdam infensis ac privatis, quibus nonnulli vaccinationibus adversarii utuntur, contra legem vaccinationis tria potissimum afferuntur argumenta:

1. Vaccinationem aiunt non tueri a variolis.

2. Vaccinatione de homine ad hominem peracta iuxta adversarios morbi ab uno homine ad alium transferentur.

3. Legem vaccinationis illicitam violationem iudicant libertatis civium propriae.

ad 1. Vaccinatio rite peracta per certum aliquod temporis spatium (per 5—10 annos) plerumque tuetur, ne quis veneno variolae inficiatur. Si quis vero, prospere vaccinatus, nihilominus inficiatur, morbus variolarum multo minus vehemens ac periculosus in eo evadit, quam in iis, quibus vaccinae non inserebantur.

Argumento est, quod, ut experientia docet, epidemiae variolarum in Europa, vaccinatione inventa, neque adeo late patent neque effectus illos atroces ac deformantes habent, quos ante usum vaccinationis secum ferebant.

ad 2. Id quod *certo constat,* hoc *unum* est, paucis quibusdam in casibus morbum syphiliticum ab uno infante ad alium translatum esse. Licet ad hoc respondere, paucos hos malos effectus longe superari immensa illa utilitate, quam totum genus humanum ex tutela contra morbum adeo terribilem percipit; nihilominus tamen, quod obiicitur, sane non esset negligendum, si vere dictum esset. At certum est, cautione ac cura necessaria adhibita in eligenda ac detrahenda lympha, translationem morborum evitari posse. Quoties morbi transferebantur, semper ostendi potuit, cautionem necessariam defuisse. Num vero res aliqua in se bona propterea impugnanda est, quia fieri potest, ut quis perverse ea utatur? „Vaccinatio," ait Reclam, [1]) „aptissime comparatur cum institutione conductoris fulminis . . . Fieri

[1]) Verhandlungen des 4. deutschen Aerztevereinstages zu Düsseldorf am 28. Juni 1876. (Aerztliches Vereinsblatt 1876 Nr. 53.)

quidem potest, ut talis conductor, perverse factus, domui damnum afferat; pariter etiam fieri potest, ut vaccinatio imprudenter peracta alicui damnum inferat. At nemo certe hac de causa usum conductorum fulminis improbabit.“ Ceterum gravi poena, quae in § 17 huius legis citatae constituitur in eum, qui negligenter vaccinationem peragit, iam satis consultum est, ut periculum morborum transferendorum, si minus ex religione ac fide, saltem ex timore poenae evitetur.

Ultima autem dubitatio hac in re tum remota erit, quando sola lympha animalium adhibebitur, id quod post temporis spatium haud ita longum verisimiliter praescribetur.

ad. 3. Lex, qua praescribitur vaccinatio, dicitur laedere libertatem singulorum.[1]) At libertas singulorum in aliqua societate nequit esse sine limitibus. Neque enim hi limites, qui proxime quidem cedunt in utilitatem societatis, sed, si totum respicias, etiam singulis prosunt, ullo modo evitari possunt. Si de magna agatur utilitate societatis, quae modica quadam deminutione libertatis singulorum acquiri potest, singuli hanc libertatis deminutionem ferre debent. Deminutio autem mortalitatis, quam morbus variolarum olim adeo periculosus adducit, certe magni momenti est pro societate humana. Haec deminutio ex peritorum longe plurimorum sententia, quae experientia ipsa fundatur, vaccinatione non solum obtineri potest, sed re vera etiam obtinetur, eoque efficacius perificitur, quo plures vaccinationi se subiiciunt. Optimum certe esset, omnes homines sub tutela vaccinationis semper renovandae retineri. Vaccinatio ipsa non est valde molesta, si spectetur ingens emolumentum, quod ex tutela contra morbum adeo exitialem pervenit tum ad unumquemque hominem, tum ad eos, qui illi plus minusve sunt vicini. Quare respublica suo iure postulare potest, ut quodque societatis membrum molestiae tam exiguae se subiiciat. Status autem, qui personam societatis gerit, habet ius tribuendi huic

[1]) Mihi displicet, me hac in re non posse assentiri sententiae virorum, qui in comitiis regni Germanici factionem constituunt, quam „centrum“ appellant, quos ceterum tanquam defensores omnium libertatum quam maxime colo ac revereor.

postulationi formam legis eosque puniendi, qui hanc exiguam suae libertatis iacturam in bonum publicum (et in bonum privatum) facere nolunt.

Quodsi in statibus, uti nunc sunt, ad molestiora non cogeremur nisi ad vaccinationem, contenderem profecto, nos vivere in aurea libertatis aetate.

Clerici praesertim ruri viventes de hac salutari institutione bene mereri possunt. Rustici enim etiam in his rebus sequuntur pastores suos, magis quam homines ephemeridum cupidi atque exculti, qui in urbibus habitant. Si parochus adversarius est vaccinationis, mox parochiani tales erunt; sin autem parochus ostendit, vaccinationis utilitatem sese intelligere, parochiani eam ut bonam ac necessariam suscipient.

Idem valet generatim de cura sanitatis publica praesertim tempore morborum epidemicorum ac contagiosorum. Si parochus esset vir, qui opinionibus praeiudicatis ducitur, in eius parochia curae sanitatis publicae magnae se offerrent difficultates, neque haec cura impendi posset, quin saepius vis adhiberetur, dum e contrario parochus prudens dispositiones magistratuum efficacissime adiuvare et ante omnia exemplo suo earum executionem multo faciliorem reddere potest, atque ita morbos epidemicos ipsos et, quod saepe maioris est momenti, terrorem epidemiae intra angustos fines continere valet.

De nutricibus.

Optime quidem scio, me quum hac de re disseram, crabrones irritare, meque graviter impugnatum iri. Nihilominus dicam, quid sentiam.

Lac maternum est infanti cibus maxime naturalis, imo est alimentum ipsi unice aptum. Nullus enim alius cibus plene compensare potest lac maternum; neque summa scientiae contentio compensationem lactis materni *undique* aptam invenire potuit. Hoc certo constat factisque prope infinitis demonstratur. Inter eos infantes, qui aliquo modo arte nutriebantur, mortalitas

ea aetate, ubi infantes uberibus ali solent, longe maior est, quam apud eos, qui lacte materno aluntur. Unde patet, certum esse officium matris, non fraudare infantem cibo a Deo ipso ad hoc sibi dato, sed suo ipsius lacte nutrire.

Unde quaeritur, quibusnam ex causis mater hac obligatione liberetur?

Gury[1]) ait: „Mater filiolos proprio lacte nutrire debet (sententia communis), quia hoc ius naturale postulare videtur. Attamen haec obligatio non urget sub gravi, quia non apparet secus gravis deordinatio. Ab omni autem culpa excusat necessitas, notabilis utilitas, aut consuetudo apud familias nobiles vigens etc. — sed tunc sub gravi mater bonam quoad mores et valetudinem nutricem sibi substituere debet."

Imprimis difficulter adduci possum ut credam, obligationem nutriendi non urgere sub gravi, quandoquidem constat, multos infantes ex hoc perire, quod fraudantur lacte materno. Sin autem infans hac de causa emoritur, id quod certe quidem non sequi debet, at sequi potest et saepe sequitur, gravis profecto in illa re est deordinatio. Si mors *certe* ac *necessario* ex defraudatione lactis materni sequeretur, haec defraudatio sine causa sufficienti instituta non solum deordinatio, sed occisio potius esset. Lex naturalis vult, ut infans modo natus lacte *suae* matris nutriatur; idcirco mulieri, quae infantem habet, lac datur. Quae lex infanti dat ius quoddam naturale ad lac *suae* matris et officium imponit matri naturale, *suum* infantem non fraudare lacte, quod *huic* infanti a natura constitutum est. Declinare ab hoc lege est agere contra gravem legem naturae et meo iudicio gravis est deordinatio. Puto, hac in re nimis ponderis allatum esse illi circumstantiae, quod matris partes a nutrice expleri possint. Utrum vero possibilitas transferendi officium aliquod in tertium quendam etiam tunc sufficiat ad mutandam speciem obligationis quoad gravitatem, si natura tam manifeste rectam viam demonstret, theologi diiudicent.

His praemissis iam accuratius inspiciendae sunt causae, quibus mater „sine ulla culpa" se liberatam iudicare possit ab

---

[1]) Gury l. c. tom. I pag. 361.

officio, alendi infantem suo lacte. Per se patet, ex causis apud Gury allatis certe sufficere necessitatem v. gr. propter morbum vel debilitatem matris. Etiam nova praegnatio tempori lactationis superveniens huc referendum est, quia mater generatim his duobus officiis satifacere nequit, quin tum sibi tum liberis damnum afferatur.

Altera causa, quam affert Gury, est „notabilis utilitas". Quae causa videtur esse satis valida. Si v. gr. mulier infantem lacte suo alere nequiverit, quin occupationem suam deserat, qua victum suo statui convenientem sibi comparare solebat, propter hanc notabilem utilitatem ab alendo ipsa abstinere posset. Idem dicendum esset de muliere, cuius valetudo talis esset, ut necessarium quidem non esset, a lactatione abstinere, sed maxima utilitas ex omissione lactationis mulieri sperari posset.

Tertia causa excusans apud theologos invenitur „consuetudo apud familias nobiles vigens". Scavini [1]) hanc causam in ipso textu non affert, sed in nota tantum addit: „Excusant etiam feminam nobilem ob consuetudinem Salmanticenses, Navarrus etc." Consuetudo sufficere dicitur, ut cesset obligatio tam gravis, ita ut ab omni culpa quis excusatus esset, si, consuetudinem sequens, officium certum, a lege naturae impositum negligeret!

Dicunt, hanc consuetudinem abusum quidem esse, eosque, qui hunc morem induxissent, certe peccasse. Posteri autem hanc consuetudinem accipiunt, eamque quasi bona fide sequuntur. Fingamus, verum esse, quicunque pravam consuetudinem bona fide sequatur, eum ab omni culpa excusari posse, tamen id, quod supponitur, hoc loco admittere non possum. Primum enim bona fides hic non tam facile supponi potest, quia in unaquaque matre natura loquitur, eamque tum iis, quae in animo, tum iis, quae in corpore fiunt, impellit, ut lacte suo infantem nutriat. Deinde plerumque non ipsa consuetudo est causa, cur non alant suis uberibus, sed sunt quaedam aliae causae, quae et hunc morem induxerunt, et singulas matres postea incitant, ut hanc consuetudinem sequantur, ut: levitas, delectationum cupiditas, mollities.

---

[1]) l. c. tom. I pag. 456.

Porro cur pro femina nobili tantum consuetudo inter causas a lactatione excusantes numeratur? An femina nobilis alia habet iura atque officia *naturalia,* atque ignobilis? Consuetudo, quae hac in re nostra aetate viget, iam minime ad familias nobiles restricta est. Quid ergo? num feminae nobiles, consuetudinem sequentes, ab omni culpa excusatae habendae sunt, non nobiles fortasse a gravi tantum culpa excusantur? Officia naturalia, puto, homines nobiles vel non nobiles non distinguunt, homo ab homine hac in re non differt, sed omnes quoad ius divinum ac naturale aequales sunt. Forte haec distinctio excogitata est, quia feminae nobiles copias habent, quibus nutricem remunerari possunt, quod de aliis non valet. Ut supra dictum est, cavendum esse censeo, ne huic circumstantiae nimium ponderis attribuatur.

Dolendum sane est, consuetudinem non alendi infantes lacte suo ex causis minime sufficientibus in dies invalescere. Conservatio pulchritudinis corporis, molestia mulieribus inde proveniens (quae utique tempore lactationis non tam libere possunt symphoniis interesse ac saltationibus, aut invitari ad caffeum vel ad coenam), atque etiam peiores praetenduntur a multis matribus causae, ut primum ac pulcherrimum matris officium abiiciant et nutricem quaerant. Hic habes crabrones illos, de quibus supra dixi. Mater tenetur, et sub gravi quidem, loco suo subrogare nutricem bonam quoad mores et valetudinem. Hoc praeceptum certe iustissimum est, quia negari nequit, non solum quoad corpus, sed etiam quoad animam infantis esse nutricem maximi momenti. Sed huic praecepto numquid obeditur? Utique, mater respondebit, medicus meus nutricem diligenter perscrutatus mihi confirmavit, eam esse omnino sanam, nutricem bonam et aptam. At mores? Etiam quoad hoc satisfecisse mater putabit, si percunctata certior facta est, illam nutricem non esse iracundam nec stupidam vel pigram, nec mendacem nec furacem etc. Hoc unum non quaeritur, quia inutile est: quomodo nutrices se habeant quoad sextum praeceptum. Stupenda cum quiete, imo cum levitate horribili femina vitiata, vel etiam pluries vitiata ut nutrix assumitur, ut socia assidua ac prima educatrix infantis

eligitur. Estne haec nutrix bona quoad mores? Profecto, mater respondet, mulierem honestam praeferrem, at talis rarissime ad hoc munus invenitur. Et quid demum nocebit, nonne et alii ita agunt? Sane valde dolendum est, etiam alios ita agere ideoque et hoc in consuetudinem venisse. Una consuetudo ex altera provenit. Quando mater aliqua, quae iusta de causa infantem suo lacte alere nequit, ex defectu lactis materni prolem videret pati, non crescere, videret aegrotare diemque obiturum esse supremum, nisi nutricem acciperet; si *tunc*, licet animo invito admitteret, ut deficiente muliere honesta talis femina vitiata locum suum expleret, hoc ei vitio verti non posset. At non ita res se habet; matres nostrae, quae ex consuetudine non alunt lacte suo, vix quaerunt de hac re, dummodo nutrix sit sana quoad corpus. Nonne triste est, medicum, si de bonitate nutricis alicuius iudicium ferendum est, primum ac praecipue animum eo attendere, annon nutrix affecta sit lue venerea? Id ita se habere, unusquisque medicus testis est. Nec etiam „nutrices rusticae", quae adeo expetuntur ac celebrantur, certae sunt. Etenim etiam ruri turpitudo (propter obligationem forte iuvenibus omnibus communem, per plures annos aetate periculosissima in urbibus, ubi eorum mores custodiri non possint, sustinendi munus militiae?), adeo crevit, ut nutrices rusticae, quarum numerus, si conferatur cum numero priorum temporum, in infinitum fere auctus est, a suspicione morbi venerei iam non sint alienae. Imo velim contendere, quod etiam a clericis medicisque ruri degentibus mihi confirmatum est, hanc ipsam consuetudinem adhibendi nutrices multum afferre, ut honestas ruri deminuatur. Si prius aliqua puella vitiata fuerat, non solum dedecus atque ignominia coram tota parochia, sed plerumque etiam paupertas atque calamitas ei obvenerunt per totam vitam. Nunc aliter res se habet. Puella vitiata post partum vel plerumque iam ante partum civitatem suam relinquit, infantem ad educatricem defert, (quae non raro tantam in infantem adhibet diligentiam, ut eum mox in coelum mittat), certumque habet, se brevi fructuosum nutricis munus sibi invenire. Nutrix autem laute vivit, mercedem recipit magnam, saepe etiam permagnam, ita ut non solum facile pecuniam ad

alendum infantem mercatur, sed frequenter etiam aliquid reponere possit. Hoc discrimen nimis magnum est nec effectu suo caret. Non raro munus nutricis puellae adeo placet, ut potentia ad illud obeundum amissa, quam citissime eam iterum sibi acquirere studeat, cuius rei exempla mihi ipsi nota sunt. Dicitur etiam accidere, ut puellae nondum vitiatae consulto vel quasi consulto hanc potentiam sibi acquirere studeant. Quod sane non esset valde mirum. En! is est unus ex effectibus, quos illa consuetudo secum fert. Sed sunt alii etiam peiores. Nam quis enumerat istos infantes, qui misere pereunt, quia matres apud aliorum infantes matris partes explent? Ephemeris [1]) medicorum Germaniae anno 1876 in fol. 55 in dissertatione quadam de rebus ad rationem totius regni Borussici pertinentibus refert, ex rationario huius regni „hac consuetudine (quia matres, quae extra matrimonium pepererunt, infantes suos aliis tradunt educandos) unoquoque anno multa millia talium infantium in regno Borussico perire." Iamvero matres, quae sine causa sufficiente, tantum ex consuetudine, nutricem quaerunt multumque iis solvunt pecuniae, nonne culpam omnium illorum scelerum, quae ex earum modo agendi sequuntur, licet indirecte tantum, in se recipiunt? Miseria horum infantium neglectorum, ex defectu diligentis curationis ac lactis materni emorientium, nonne ad coelum clamat contra istas mulieres, quae sine necessitate infantes privarunt matribus?

Magna haec incommoda multaque damna, quae aliis hinc oriuntur, a veteribus theologis, ut patet, non potuerunt satis perpendi, quia antea nutrices minus frequenter adhibebantur et mali effectus huius abusus aberant, vel saltem minus manifesti erant. Patet autem, illos bene considerandos esse, si agitetur quaestio, utrum mater sine ulla culpa ex consuetudine ab alendo se abstinere, atque etiam utrum sine ulla causa sub levi hoc officium matris negligere possit. Pro tali, ut nunc est, rerum statu, quum tanta habeatur nutricum multitudo, non facile theologi, etiam ii, qui inter rigidiores non numerantur, consuetudinem solam tanquam causam sufficienter excusantem ab alendo generatim in

[1]) Aerztliches Vereinsblatt für Deutschland. 1876. Nr. 55.

posterum habere poterunt, nec scio an matrem sub gravi obligatam iudicaturi sint, ut alat infantem suum suis uberibus, nisi graviores causae ab hoc officio naturali excusent.

Culpam huius abusus magna ex parte etiam medici sustinent: imprimis eo, quod omittunt monere mulieres, non solum matris officium esse, alere infantes per semet ipsas, sed etiam summum matris gaudium, veram pulchritudinem hinc augeri ipsamque valetudinem promoveri. Violenta oppressio functionis naturalis semper mala procreat. Mater lactans, sin aliter sana est, imaginem offert summae et perfectae valetudinis, summum prae se fert florem perfecti corporis humani humanaeque pulchritudinis. Interroges, quaeso, veram sinceramque matrem, num sit felicitas aliqua, quam commutare velit cum ea, quam affert officium alendi infantem uberibus suis; interroges eas, quibus natura hanc laetitiam denegavit, quantopere eam desiderent! Noli tamen interrogare istas novorum morum nimis studiosas, saltatrices, garrulas, luxuriosas; istae utique lamentantes conquerentur, rem non bene fieri, rogabuntque iterum atque iterum, donec „bonus medicus“ tandem tam benignum se ostendat, ut — nutricem decernat. Hoc est alterum, in quo saepius peccant medici. Ipsi melius quam omnes alii perspiciunt multos illos malos effectus, qui ex usu nutricum oriuntur, et nihilominus eum interdicere nequeunt. Num hoc decet virum? — Rationabilis causa si absit, medicus huic tam pravo mori operam suam dare atque contra animi sui iudicium agere non debet, licet exprobrationes et iram inde in se concitet. Hac demum ratione usus nutricum paulatim intra iustos fines coarctari atque abusus nunc vigens tolli poterit. —

Hisce de quinto praecepto expositis apte adiunguntur quaedam de illo scelere, quod ab aliis „morbus moralis“ dictum est, i. e. de intemperantia, atque imprimis de ebriositate. Quibus absolutis quasdam morborum formas paucis perstringam, quae clericum saepe attingunt, et in quibus cauta directio spiritualis nonnunquam prodesse potest. Tales sunt: Hysteria, hypochondria et morbi animi.

De intemperantia et ebriositate.

„Gula id est inordinatus appetitus cibi vel potus est peccatum veniale ex genere suo. Fit autem grave, si graviter noceat sanitati aut si quem ad officium ineptum reddat.“ (Gury l. c. tom. I. pag. 156.) Consuetudo intemperantiae cibi ac potus, quae si diuturna est semper damnum affert valetudini, estne peccatum grave?

Cibi intemperantia non est valde frequens. Plurimum reperitur inter homines, qui honestioris sunt loci, a quibus nonnunquam cibi iam non sumuntur ad famem sedandam corpusque nutriendum, sed unice delectationis causa. „Huiusmodi homines,“ ait Hartmann[1]), „edunt, quamdiu palatum delectat; quum vero semper cibi suaves sese excipiant, diutius eos delectat, quam oportet, atque ita fere semper nimium manducant.“ Effectus mox sequuntur. Initio abundantia stomachi efficit imperfectam ciborum concoctionem cum inflationibus, cum cardialgia et doloribus intestinorum, cibique fastidio; deinde congestiones sanguinis in caput versus, dolores capitis heluonem reddunt pigrum et segnem ad negotia. Paulatim graviores sequuntur perturbationes stomachi, frequentiores vomitus, diarrhoeae alternantes cum duritia alvi, stagnationes alvi et haemorrhoides magis magisque digestionem et resorptionem impediunt. Corpus non sufficienter nutritur, pigritia augetur usque ad affectus hypochondriacos, vires animi plus minusve debilitantur. Multae aegrotationes acutae et chronicae ex vexatione stomachi oriuntur abusu ciborum.

Poterit forte interdum prodesse, si simul cum culpa, quae aviditate cibi contrahitur, etiam illi effectus ante oculos hominum intemperantium ponuntur.

Multo autem magis increbruit consuetudo intemperantiae in usu potuum fervidorum, quae usque ad horrendum ebrietatis scelus augetur.

---

[1]) Hartmann, Ph. Carl, Prof. Dr. Glückseligkeitslehre für das physische Leben des Menschen. Umgearbeitet von Moriz Schreber. X. Aufl. Leipzig bei Carl Geibel. 1876.

At etiam haec paucis absolvere possum, quandoquidem de iis, quae ad directionem spiritualem hominum ebriosorum pertinent, nihil dicam. Effectus ebriositatis satis noti sunt. Praeter perturbationes magnas in iis corporis partibus, quibus cibi conficiuntur et in iis, quae urinam secernunt, in potatore praesertim eminent eae notae, quae systemati nervorum male affecto sunt propriae. Hebescit in potatoribus acies mentis, perturbatos in capite se sentiunt ad tempus, oculorum acies eos interdum deficit, lingua tremit, somnus fit inquietus. In omni corporis motu digiti ac manus tremere incipiunt. Ante somnum nonnunquam formicationes et spasmi oriuntur in cruribus ac postea in brachiis. Sunt potatores timidi, dubii, morosi, hypochondriaci, litigiosi, desperati animi (Hartmann, Glückseligkeitslehre). Vires membrorum magis magisque decrescunt, facile miseri in genua procumbunt, rem arripere non iam valent, haud raro tactus et sensus eorum hebescunt, extremitates torpescunt. Frequenter corripiuntur vertigine, vexantur hallucinationibus; hebetatio oculorum ac ceterorum sensuum eos frequentius afficit, donec ad ultimum pervenerint effectum ebrietatis, ad ipsum delirium. Si etiam tum infirmus nondum se cohibeat, vires mentis in dies magis hebescunt, torpori semper crescenti ac dementiae ad tempus interveniunt hallucinationes, deliria, impetus furoris. Hebetationi autem sensuum accedit debilitas ac torpor membrorum semper crescens. Inter catarrhum pulmonum chronicum et diarrhoeas marasmus ad summum pervenit fastigium, crura evadunt hydropica, donec tandem infirmus vel tranquillo delirio vel ex perfecto collapsu decedat, nisi iam prius apoplexia trogoediae finem imposuerit. Nosocomia et magis etiam domus mente captorum repletae sunt ebriosis eorumque liberis. Huiusmodi enim parentum, qui pecudum more vivunt, liberi tanquam progenies debilis, misera, pallida, hebes, mentis parum excultae, aut praemature emoriens aut scrophulis tuberculisque contabescens innumerabiles fere miserrimam vitam sustentant. Quae quidem quamvis omnia probe sciamus et sexcenti scripti libri sint et optimae leges conditae, tamen omnia sunt irrita.

Ad sanandum ebriosum quaecunque ars excogitavit, nihil

effecerunt. Monita atque praecepta e moribus et honestate repetita apud eum, in quo malum aliquos iam fecit progressus, fere nihil valent, quum vis sufficiens se coërcendi desit; naturalia vero remedia atque experimenta omnia, etiam maxime mirabilia, irrita fuerunt.

Id unum superest, ut hoc malum praecaveamus. Leges atque praecepta, sermones instructionesque, benevolentia ac severitas id agere debent, ut ebrietatis incrementum ac diffusionem impediant. Ad id aptissimum erit, effectus corporales supra expositos saepius graviter inculcare, ita quidem, ut simul ostendatur sceleris turpitudo.

Ad sanandum hominem ebriosum longius iam progressum mihi videtur unum solum adesse remedium, sc. vis. Nam quum ebriosus ipse se coërcere nequeat, ab aliis coërcendus est. Privetur potibus inebriantibus[1]), quaelibet occasio, illos sibi comparandi, prorsus atque omni cura ipsi praecludatur conatusque adhibeantur, conturbatum organismum iuxta regulas artis medicinae reparandi. Usus, quem per 25 annos assecutus sum tum ut medicus pauperum, tum ut medicus in domo mente captorum, quae habetur in hac urbe, me ita aperte docuit, ut haud dubie affirmare possim, aliud remedium non esse. Quod remedium quia tantum cum privatione libertatis adhiberi potest, privatio autem libertatis iuxta leges tamdiu solum permittitur, quamdiu culpa alicui imputari nequit, — illi tantum potatores recte tractantur, qui ex perfecto delirio laborant. Hic necessarium esset, ut sanato delirio sanaretur ebriositas longiori commoratione in aliqua domo mente captorum vel in alio instituto. At intervenit lex vetans ulteriorem libertatis privationem, quapropter infirmus dimittitur sanatus a delirio, minime ab ebrietate sanatus. Brevi, saepe post paucos dies, iam revertitur ad consuetudinem detestandam, itaque aut praematurae morti aut furori iterum atque iterum se tradit,

---

[1]) Privatio potuum inebriantium, etiam repentina privatio nequaquam tantum nocet quantum nonnulli putant. Cibi validi aptaque medicamenta mox ea damna superabunt, quae ex defectu consuetae irritationis ad tempus oriuntur, nisi organismus iam adeo confectus sit, ut salus sperari nequeat.

donec tandem inseratur numero mente captorum in domo aliqua insanabilium.

De hysteria.

Statuo imprimis, hysteriam verum esse morbum illosque, qui ex ea laborant, non minus miseratione dignos esse, quam alios infirmos, atque initio harum animadversionum hanc placet ponere sententiam: Clericus quantum potest caveat ab hystericis. Rationes huius moniti facile patebunt ex iis, quae sequuntur.

Hysteria non immerito „Proteus“ inter morbos dicitur. Etenim tam variis modis per totum nervorum systema apparet, ut varios eius effectus talibus signis certis, quibus artis medicinae imperitus aliquo modo eum perspicere ac iudicare valeat, describere vix possimus. Nobis illud imprimis considerandum est, hysteriam esse „malum, quod singulari quadam nervorum sensibilium irritabilitate *totam hominis naturam commutat,* vim percipiendi perturbat, voluntatem debilitat, ac denique iudicium et actionem in omnibus rebus ita impedit, ut libido et fortuitae animi affectiones summum imperium exerceant.“[1]) In plurimis horum infirmorum exoritur studium indomitum commovendi misericordiam atque miserationem, sibi comparandi aestimationem et omnium oculos ad se convertendi. Exigui appulsus in nervos sensibiles ad vehementissimas eos permovent querelas de acerbis doloribus; phantasia iis simulacra proponit eosque in statum adducit, qui ecstasi et somnambulismo valde similis est. Non raro simulato religionis fervore excitatio libidinosa, crescens usque ad nymphomaniam, satis callide occultatur, ita ut circumstantes, imo ispi medici clericique iuniores miserandum in modum fallantur. Mira quaedem mutatio affectuum laetitiae et tristitiae usque ad anxietatem, irritabilitas, pavor, amor, odium, quorum causae minime comprehenduntur, infirmos istos quam maxime molestos reddunt omnibus, qui cum iis agere debent. Debilitates variae usque ad perfectam paralysin omnium musculorum modo

[1]) Hasse, Krankheiten des Nervensystems. pag 207. (In Virchow, Handbuch der speciellen Pathologie und Therapie.)

lente modo subito oriuntur, ita ut post brevius vel longius tempus, saepe post annos, eodem modo vel paulatim vel etiam subito evanescant et perfecta motuum libertas restituta appareat. Hinc fortasse repetendae sunt complurium feminarum diu paralyticarum repentinae sanationes, quae pro miraculis habebantur; aliqua enim animi commotio, quae vel in peregrinatione, vel in applicatione reliquiarum sentiebatur, sufficiens erat, ut paralysis subito auferretur, neque id aliter explicandum est, quam si aliqua hysterica diuque paralytica interdum subito currere potest, si in eius cubiculo oriatur incendium vel etiam, si quis praeter exspectationem alapas aliquas ei ducat, dum proximi familiaresque eius per multos annos eius sortem miserabantur atque dolebant.[1])

Id quod summum terrorem inferre solet in hysteria, sunt paroxismi hysterici, ut dici solent. „Oriuntur hi paroxismi, si quis praeter exspectationem cutem infirmi attingat, si medicus venarum pulsum sentiat, aliisque rebus huiusmodi; at possunt etiam oriri ex iis, quae cogitatione sibi fingunt, ex commotionibus animi etc. Movent isti infirmi caput et extremitates sicut automata, aspiciunt limis oculis, maxillas comprimunt usque ad stridorem dentium, volutant linguam, assidue devorant, festinanter respirant, vociferantur, semper eadem verba efferunt, sonos emittunt diversissimos, sicut latratum canis, aliosque huiusmodi (etiam verum mugitum et ululatum edunt); caput retro remittunt, extollunt pelvim, pulsant manibus pedibusque, extendunt porriguntque extremitates; accedit opisthotonus, pleurosthotonus etc., rigor cataleptiformis totius corporis. Haec omnia vel singula vel ad modum impetus diversimode coniuncta apparent.“[2]) Potest hac ractione epilepsia vel catalepsia simulari, imo huiusmodi impetus proxime accedunt ad ea, quae reperiuntur in obsessis ab uno pluribusve diabolis.

---

[1]) Hisce minime negatur, etiam paralyticas hystericas aliquando sicut alios infirmos miraculo sanatas esse. Sed quum sanatio hic ex naturae legibus orta esse possit, et quibusdam in casibus difficillimum, plerumque impossibile sit, diiudicare, utrum miraculo an natura sanatio effecta sit, cautela in tali re diiudicanda certe magnopere commendanda est.

[2]) Hasse l. c. pag 212.

Ex his paucis animadversionibus satis patebit, veram esse sententiam supra enunciatam: ut clericus ab hystericis caveat. Caveat, ne fallatur rebus nonnunquam valde miris, neve fraude decipiatur ab istis infirmis valde callidis vereque pervicacibus ad ea, quae sibi proposuerunt assequenda. „Infirmi isti, ut satisfaciant cupiditati suae fallendi, nec dolorem, nec laborem, nec molestias cuiuscunque generis recusant. — Omnia tentant ac perferunt, ut fraudem semel coeptam ad exitum perducant.“[1]) Quum perversae cogitationes fraudesque, sive ab infirmis ut tales cognitae, sive non cognitae, saepissime ad fervorem religionis „pietatemque“ spectent, clerico et praesertim iuniori saepius datur occasio, ut ab istis infirmis revera fatigetur saepeque sero cognoscat, se melius iisdem nunquam operam praestitisse.

Curatio hystericorum, etiam tum, quum perversae eorum cogitationes imprimis ad fervorem religiosum referuntur, ad clericum tamen omnino non spectat. Ipse ad utilitatem suam id perspectum habeat, non esse melius remedium ad finem faciendum his miris eventis, quam ea prorsus parvipendere. Ad paroxismum abbreviandum et auferendum, sive cum spasmo coniunctus est sive eo caret, plerumque valde prodest, aquam frigidam, quantum scypho vitreo continetur, infirmis uno impetu in faciem iaculari. Inurbanum quidem hoc videri potest, sed efficax est neque unquam nocet.

Consolationis causa insuper addi potest, cum hysteria, tum imprimis paroxismo hysterico rarissime quemquam mori, quapropter clericus quoad sacramentorum administrationem in impetu alicuius personae, quam scit esse hystericam, cautus sit oportet.

De hypochondria.

Hypochondria, crux illa medicorum, a compluribus, qui de medicina pastorali scripserunt, tum quoad causas tum quoad therapiam fuse explicatur. Equidem sufficientem rationem ad

[1]) Hasse l. c. pag. 218.

hoc non invenio. In hysteria pietas simulata, quae frequenter occurrit, visiones, miracula simulata, falsae ecstases, paroxismi, qui periculosi esse videntur, etc. occasionem praebere possunt clerico, in consuetudinem talium infirmorum veniendi. Hinc de istis paulo fusius disserui, ut ea cavenda praemonerem. Apud hypochondriacum non ita res se habet: hic omnia, quae supra enumerabantur, desunt, quare causa deest commercium habendi cum clerico. Hypochondriacus ita occupatus est in considerandis et interpretandis iis omnibus, quae apparent et accidunt et quae ipse sentit in corpore suo, quaeque sive contra ordinem sint sive iuxta eum, sive vera sive ficta, — ut de nulla alia re cogitet nisi de malis suis eorumque effectibus, neque de alia re loquatur nisi de suis doloribus. Consolationes nihil prosunt infirmis istis demissis, acerbis, qui ad suum commodum omnia referunt. Ex alia parte plerumque a clerico minime solatium petent, nisi forte ille clericus temere atque illicite artem medicinae exerceat. Huiusmodi enim hominibus, sive clericis sive laicis, hypochondriacus maxime confidit.

Etiam hic ad errorem evitandum aperte addam, me multum abesse, ut illudam mala hypochondriaci eaque „ficta“ vocem. Licet eius mala maxime nitantur in perversa directione sensibilitatis cum maiore vel minore perturbatione animi, ipsi nihilominus mala gravia sunt. „Eius sensationes,“ ait Romberg, „sunt quidem fictae et cogitatae, sed ex animo in corpus et corporis sensus inductae.“ Eo vero magis hypochondriacus miseratione dignus est, quia eius infirmitas fere semper insanabilis est. Attamen, sicut hysteria ita et hypochondria fere nunquam mortifera est, nisi alius morbus accedat.

Non raro hypochondria transit in veras infirmitates animi. Interdum hi infirmi etiam voluntariae mortis pereunt. Quod praecaveri plerumque nequit, quia id consilium mortis apud illos fere semper subito venit et statim sequitur executio. Quamvis hypochondriaci saepe loquantur de intolerabili vitae suae miseria et de cogitatione, huic vitae morte finem imponendi, generatim hoc parvi faciendum est, quia hypochondriaci fere omnes anxitate

quasi ridicula vitam ac valetudinem curant. Semper tamen prae oculis habendum est, posse tales homines vim sibi inferre.

Huc pertinet alia quaestio, quam ut sciat clericus plurimum interest, quamque medicina pastoralis explicet necesse est, i. e. quaestio:

De ecclesiastica suicidarum sepultura.

Suicidae alicui, qui ex vero cognitoque morbo animi laboravit, propter suicidium sepulturam ecclesiasticam negari non posse, per se liquet, nisi ante coeptam mentis perturbationem aliae iam causae adfuerint, eam denegandi.

Quid ergo dicendum de ea sententia, quae unumquemque suicidam tempore suicidii mente aegrotantem declarat atque omnibus sepulturam ecclesiasticam vindicat? Potesne quis sine morbo animi se interficere?

Doctrina de monomaniis etiam maniam suicidii eamque sine delirio posuit, statuitque, apud multos suicidas motum quendam internum adesse, qui ita „infirmum“ voluntate privet, ut resistere non possit, adeoque factum ipsum producat. At sicut in aliis monomaniis, ita et hic ars medicina iam multa non admittit, fidemque talium motuum, quibus resisti non possit, valde labefactavit. Ad diiudicandum imputabilitatem alicuius actionis semper maximi momenti erit causa facti. Quare quaeritur, cuinam rei iste motus, qui superari nequeat, in singulis casibus innitatur.

Haec videntur in praxi tenenda esse. Si rationabilis aliqua causa depressionis animi, quae ad suicidium incitavit, inveniri possit, v. gr. honor laesus, iactura bonorum vel propinquorum, laesio sive deceptio vehementis cupidinis vel vita pracedens insana, prodiga ac flagitiosa, aliaque huiusmodi, certe iustum est, sepulturam ecclesiasticam negari, nisi praeterea morbosa animi dispositio demonstrari possit. Si talis morbosa mentis dispositio desit, perturbatio illa et depressio ex huiusmodi causis orta, non potest dici fons talis motionis, *cui resisti*

nequeat. Adiuvante enim religione, fide in Deum animaeque immortalitatem atque aeternam remunerationem vel poenam motus iste superari potest atque debet. Contra quum dispositio corporalis adsit, talis animi commotio vel depressio tam acriter homines percutere potest, ut ratio vere perturbetur, ut motus iste in hac subita et brevissima mentis alienatione non modo non impugnetur, sed etiam actione perficiatur. Tales morbosae dispositiones habendae sunt (praeter ipsos animi morbos proprie dictos); epilepsia, hypochondria, hysteria, error lunaticus et somnambulismus; deinde animus tristis et melancholicus, error fanaticus praesertim in rebus religiosis, qui forte coniunctus est cum visionibus atque hallucinationibus, nimia nervorum irritabilitas et debilitas, magna mentis imbecillitas, difficilis denique et intractabilis natura. Magni etiam momenti erit, si ostendi possit, aliquos ex suicidae familia mente fuisse alienata. Huc pariter pertinent graviores laesiones systematis nervorum, v. gr. in laesionibus capitis; praegnatio et puerperium; aegrotationes quaedam graves corporis tum acutae tum chronicae: febris intermittens, variola, erysipelas, pneumonia, rheumatismus articulorum acutus, syphilis, tuberculosis, vitia cordis, morbi partium genitalium (non venerei) praesertim apud sexum femineum.

Istae enim conditiones omnes eiusmodi sunt, ut ex iis animi aegrotationes paulatim enasci, et etiam, vehementi aliqua impressione in animum praeter exspectationem superveniente, repente exoriri possint. Ubi una vel plures ex istis conditionibus adfuerint in tali suicidio, iuxta axioma: „in dubio pro reo“ perturbatio animi mentisque alienatio supponenda, ideoque sepultura ecclesiastica non neganda est.

Restant considerandi ii casus, in quibus re diligenter cognita atque inquisita ne ulla quidem causa rationabilis invenitur, quae, ut supra dictum est, commotionem ac depressionem animi efficere potuerit, neque ulla ex dispositionibus morbosis supra expositis adsit, illi, dico, caus, in uibus et homo et corpore et anima sanus, cui nulla videbatur adesse causa rationabilis, cur vitae eum taederet, repente se perimit. Duo tantum hic

excogitari possunt. Aut suberat causa aliqua rationabilis perturbationis animi, licet inquisitio diligentissima eam non patefecerit, aut scelus committebatur ex dispositione aliqua morbosa, quamvis ignota, in statu subitae amentiae. Tertium cogitari non potest.[1]) Quicunque enim sine causa gravissima tale facinus committit, quod tanti est momenti adeoque contrarium naturae rationique humanae, tempore facti mente captus censendus est. Considerandum est insuper, perturbationes fieri posse in corpore, quae celeriter, imo repente oriantur, etiam tales, quae mentis alienationem efficiant. Tali autem rationis perturbatione hominem primo impetu ad actionem aliquam hucusque minime assuetam, imo detestatam incitari posse, patet. Tales casus amentiae et delirii (sine suicidio) subito ac praeter exspectationem exorti revera observati sunt, quamvis negari nequeat, eos raro accidere. Neque minus raro suicidium patratur tum, cum nulla causa pateat sive ex una sive ex altera parte. Quaeritur, utrum in his casibus sepultura ecclesiastica concedenda sit? Scavini (l. c. tom. III. pag. 90.) hoc negat, „nam opus externum semper praesumitur voluntarie positum, nisi certe oppositum constet.“ Fateor, me in responsionem affirmantem inclinare. Illud „in dubio pro reo“ hic eo magis videtur esse usurpandum, quia dedecus ex privatione sepulturae ecclesiasticae proveniens et poena actionis, quae ne *certo* quidem poenam meretur, non tantum suicidam tangit, sed multo magis superstites ferit. In casu, qui adeo praeter exspectationem et sine causa accidit, terror ac dolor superstitum iam per se usque ad exanimationem crescit; cur tandem alterum dedecus iis inferatur in mortuo, quum non certo constet, illud promeritum esse? Est quidem ratio responsionis negantis, quam Scavini adducit, generatim vera; at in hac causa mihi non videtur ita admittenda ex causis modo dictis.

---

[1]) Posset quis tertio loco afferre tentationem diabolicam tanquam causam directam suicidii. Eam tamen hic praetermittere possumus, quia demonstrari nequit, atque in nostra quaestione tanquam causa ignota perturbationis animi consideranda est.

In singulis casibus parochus optime in tuto se collocabit, si de certa vel verisimili mentis perturbatione, quae tempore suicidii erat, testimonium postulet medici *rationibus fulcitum*. Quodsi tum existimet, animi perturbationem non sufficienter demonstratam esse, ex theologia pastorali ipsi quaerendum est, quid agere debeat.

De morbis animi.

Non raro accidit, ut ad eos, qui ex morbo animi laborant, curandos etiam clericus advocetur, ea quidem de causa, quia illi, qui artis medicinae imperiti sunt, putant, iis remediis, quae mere ad corpus pertinent, in morbis animi eventum non fore prosperum, sed adiumenta, quae directe in animum tendunt, imo et spiritualia necessaria esse. Hac de causa non raro, praesertim initio perturbationis animi, clericus solus interrogatur, priusquam advocetur medicus. Tum clerici imprimis erit, postulare, ut advocetur medicus, quandoquidem vix prudenter dubitari potest, aliquam corporis perturbationem sin minus causam perturbationis animi, saltem comitem esse, solumque medicum valere, hanc corporis perturbationem eiusque nexum cum perturbatione animi invenire recteque iudicare.

Sed quid clericus iis, qui ex animo laborant, curandis prodesse poterit?

Potest ac debet semper et ubique resistere opinioni illi praeiudicatae, perturbationes animi esse in se aliquid ignominiosi vel aliud, quam *morbos*. Esto, inter causas morborum animi etiam tales haberi, quae hominem contemptum reddunt, ut intemperantiam, impudicitiam aliaque huiusmodi, sed tamen perturbatio animi in se nihil aliud est nisi morbus, miserique infirmi non minus, imo multo magis miseratione digni sunt, quam ii, qui corpore tantum aegrotant. Tristis enim est morbus animi quum aegroto ipsi, tum maxime eius familiae proximisque, sed vel tristior est opinio praeiudicata contra hos miseros. Pudet homines stultorum, quaerunt eorum statum anxia cum cura

celare, libertatem sine necessitate adimunt, inclusos eos tenent, eos irrident, illudunt atque quod peius, aspere eos tractant usque ad hunc diem. Apud multos homines aetatis nostrae „ad summam humanitatem perductae“ perturbatio vel morbus animi adhuc aequivalet eiectioni e societate humana, ipsique etiam proximi, qui in morbis corporis eos, qui eiusdem sunt familiae, diligentissime curant, atque dolores corporis tormentaque, necessitates ac desideria alterius aegre ferunt, quasi immutati apparent, si quis propinquorum animo aegrotare incipiat. Morbosa illa mentis alienatio dicitur esse obstinatio ac petulantia, quare aegrotum illudunt atque puniunt. Magna melancholici tristitia dicitur esse insana ac perversa subtilitas, vel taedium semetipsum vexans quod causa rationabili careat: eius animum iam nimis irritatum distrahere dant operam, in circulos eum cogunt, incitant ad itinera facienda frequentandaque balnea, at nulla ratio habetur eius rei, qua sola aegrotus indiget: quietis. Ut paucis dicam, absolutissima viget horum statuum ignorantia. Qua in re clericus si advocetur, quam plurimum prodesse potest eo, quod imprimis aegrotum vere *aegrotum* esse cognoscit medicumque postulat. Ab eo autem tempore medicus toti curationi praeesse debet; tum familia tum clericus absolute sequi tenentur praecepta medici. De nullo alio morbo adeo verum est, minima mora sanationem in perpetuum impossibilem fieri posse, quam de morbis animi. Primum tempus, quum sc. perturbatio animi exoritur, tanti est momenti ad sanandum, ut pro certo haberi possit, multos, qui ex animo laborant, sanatos fuisse, neque in ingens malum mentis perpetuo alienatae incidisse, si eo tempore recte tractati essent. In omnibus fere domibus mente captorum experientia disci potest, mente captos plerumque sero eo deduci, ac tempus, quod ab initio aegrotationis usque ad receptionem in institutum intercedit, plerumque sine utilitate praeterlapsum esse, non raro etiam ita adhibitum esse, ut sanationem omnino impediat et noceat. Quapropter iamdudum atque in dies magis postulatur, ut omnes mente capti in domibus mente captorum collocentur idque quam primum.

Utrum necessarium aptumque sit, omnes mente captos statim inde ab initio aegrotationis in domum mente captorum deducere, hoc loco, ut patet, disceptari nequit;[1]) in casu particulari solus medicus hac de re decernere debet. Si autem medicus decreverit, infirmum deducendum esse in domum mente captorum, fere semper altera intercedit opinio praeiudicata: aversio hominum, tum eruditorum tum indoctorum, contra haec instituta. Cuius aversionis fundamentum sicut ex una parte generatim in perversa opinione de morbo animi quaerendum est, in timore „ignominiae“ et in eo quod timent, ne apud homines existimationis suae aliquid deperdant, ita altera ex parte non minus in amore proximorum, qui nunc novis viribus exardescit: miserum infirmum, quem ipsi irriserunt, illuserunt, insultarunt, nonnunquam aspere tractarunt, in domum mente captorum tradere nolunt. Et cur? Quia haec instituta carceribus peiora esse dicuntur, quia cultus victusque, habitatio et curatio male se habent, quia custodes miseros infirmos includunt, aspere tractant, aliaque huiusmodi. Sive credunt istas ineptias, sive hisce verbis amorem erga infirmum ostendere volunt, sive receptioni in domum mente captorum ex amore infirmi, sive ex amore sui ipsius obsistunt, — damnum recidit in miserum infirmum. Qua in re clerico, quocum saepissime haec deliberantur, altera se praebet occasio, magnam utilitatem afferendi. Explicet propinquis, tunc eos summum infirmo ostendere amorem, si sanationem huius mali non impediant vel retardent; in conscientia teneri propinquos, si medicus receptionem in institutum necessariam ducat, hanc receptionem admittere aut efficere, etiam invito infirmo. Infirmus enim iudicare nequit, quid sibi prosit, quid noceat; quare propinqui eius loco pro ipso iudicare atque agere debent, etiam contra falsam infirmi opinionem vel voluntatem ex morbo perversam.

Quoad ea, quae clericus fortasse directe agat ad sanandum

---

[1]) Cfr. dissertationem etiam clericis commendandam: Dr. A. Erlenmeyer. Wie sind die Seelenstörungen in ihrem Beginne zu behandeln? Preisschrift. III. Auflage. Neuwied 1861. Heuser'sche Buchhandlung.

mente captum, tenendum est, clericum etiam in his praecepta medici debere sequi. Hoc autem animadvertat, conatum, rationibus ex fide petitis effectum bonum producendi, fere semper inutilem ac saepe nocivum esse. Iamvero quum et clericus plerumque hoc rationum genus adhibiturus sit, tanquam sibi proximum, et infirmus sine dubio facile putaturus sit, clericum velle „religione“ ipsum adiuvare, generatim clericus minime aptus videtur, qui mente capti curam agat. Etiam tum, quum infirmus clericum desiderat, v. gr. ut de inanibus suis scrupulis secum colloquatur, valde cautum esse oportet. Nam si forte scrupuloso melancholico unum scrupulum feliciter evellas, decem saepe alii statim eum vexabunt. Diversissimae summo cum labore afferunter causae ex ratione, religione, philosophia petitae, at frustra omnis opera perditur. Rationes ex fide desumptae si prudenter afferantur, non utiliter adhibentur, nisi apud reconvalescentes.

Generatim insuper advertendum est, non minus errare eum, qui perversis mente capti cogitationibus assentitur, quam eum, qui nimis assidue aspereque resistit. Assensus confirmat eius opiniones, contradictio eum irritat atque exasperat. Id potius agatur, ut opiniones falsas omniaque, quae ad eas perducere possint, evitemus, ut infirmo alias cogitationes suggeramus, agitationi mentis, in aliquibus rebus errantis, alias cogitationes subiiciamus. Diligentissime evitanda est quaevis adversus infirmum infidelitas, quaevis deceptio, atque etiam occultatio quaelibet. Suspiciosa ex perversa actione oriens offensio animi atque odium contra aliquos vel contra omnes homines saepe maximo impedimento est omni salutari curationi, etiam dum postea in instituto infirmus versatur. Unde cavendum est, si ullo modo fieri possit, ne infirmus sub aliquo praetextu, fraude aliqua in institutum illiciatur. Etenim ex hoc perversa actione saepe fieri, ut qui antea tranquilli fuerint, dies noctesque, adeoque per integras hebdomadas valde excitentur, cuilibet medico mente captorum notum atque perpectum est.

B. DE SEXTO PRAECEPTO.

Peccata contra hoc praeceptum commissa, id est peccata luxuriae, non hodie tantum, sed semper videntur et numero et specie cetera peccata omnia superasse. Quae res summopere deploranda est, licet facillime ex lapsu humanae naturae explicetur. Itaque sextum praeceptum confessariis frequentissimam et propter portentosam varietatem molestissimam exhibet materiam. Quum vero haec peccata suapte natura magis quam cetera omnia ad corpus humanum pertineant et cum gravissimis eius functionibus quam intime connexa sint, facile intelligitur, pastores animarum in hac potissimum materia physiologorum medicorumque explicationes desiderare.

I. DE MASTURBATIONE.

Perniciosissimum hoc scelus iudicio omnium tum theologorum tum medicorum, nostra praesertim aetate horrendum in modum invaluit; eius autem effectus, sicut funestissimi sunt in se, ita et difficillimi ad sanandum.

Inter causas masturbationis praeter prava exempla (quae et in scholis, balneis, exercitationibus gymnasticis produntur et praesertim concumbendo in eodem lecto) enumerandae sunt praecipue sequentes: ancillae inhonestae, quibus parvulorum cura incumbit, quum ad eos placandos titillant eorum genitalia; educatio effeminata; diu sedere et haerere in libris sine convenienti corporis motu atque agitatione et sine vera

occupatione animi; libri illi detestandi, qui de rebus turpibus mollibusque tractant; picturae obscoenae; defectus verecundiae imo turpitudo, quae frequenter in spectaculis choreisque apparat, quo insuper iuventus nostra praepropere admittitur. Nonnunquam etiam huius sceleris occasionem praebere potest aegrotatio genitalium, pruritus, qui vel ex pustulis vel ex parvis vermibus, e sordibus etc. oritur. Quae quidem posteriora, quum plerumque apud puerulos iuniores reperiantur, minus confessariis quam parentibus innotescunt. Hi sine mora ad medicum remittendi sunt.

Frequentius quidem hoc scelus occurrit apud pueros ac iuvenes, at etiam sexus femineus magnopere eo infectus est. Isti pueri ac iuvenes utriusque sexus aspectu inerti ac pavido, vultu suspenso atque incerto, oculis abditis atque margine caeruleo circumdatis, facie pallida ac tumida et macilenta, manibus sudantibus et remissis, genibus imbecillis facileque submissis, habitu languido, valde ad sedendum aut innitendum propensi, homines isti hebetes, stupidi, distracti atque morosi, quoties se nobis offerunt! Occultant se locis desertis, ignavi sunt ac timidi, non delectantur gaudiis iuventutis nec seriis occupationibus animi, nesciunt mane surgere, macescunt corporisque incrementa necessaria non capiunt. Deinde accedunt pollutiones [1]) involuntariae (passivae), crebra animi deliquia, vehementes tremores ac palpitationes cordis, donec tandem oriantur affectiones incurabiles: phthisis, hydropsia, interdum epilepsia et nonnunquam tabes dorsalis quae dicitur, apud sexum femineum etiam varii morbi uteri et hysteria. Accedente insuper ad haec omnia morsu conscientiae atque timore et sollicitatione tristium illorum effectuum, qui tum animo tum corpori ex tali modo vivendi proveniunt — infelices illi haud raro in melancholiam et amentiam incidunt, vel etiam desperantes suicidio misere pereunt.

Hisce imaginem adumbravimus illorum miserorum, qui diu ac pertinaciter in illo scelere persistunt. At semper tamen

---

[1]) Plura de pollutione habentur infra.

prae oculis habendum est, non unumquemque illorum peccatorum omnes hos effectus sive supremos saltem eorum gradus in corpore suo sentire. Sunt qui per multos annos scelus masturbationis commiserint, at nihilominus exiguam tantum perturbationem nervorum inde sibi contraxerint. Quapropter non expedit, huius peccati effectus peccatori subtilius et acrius depingere, ne ille experientia edoctus monitorem possit mendacii coarguere. Multo magis alia de causa caute agendum est, si peccatorem ab hoc scelere absterremus. Solent enim isti miseri esse animi valde afflicti, quod tum ex nervorum infirmitate tum ex stimulis conscientiae atque pudore oritur. Accedit, quod innaturali illa irritatione toties repetita irritabilitas genitalium adeo crescit, ut animus depressus iam corpori dominari vix valeat. Phantasia corrupta, obscoenis imaginibus infecta, praeter carnalem vix aliam admittit animi delectationem, et ubi malum iam aliquos progressus fecit, certe pugna requiritur non exigua ad vincendam pravam consuetudinem, imo nisi religione moveatur huiusmodi peccator, eius conversio vix sperari poterit.

Tali homini maxima tantum cum cautela terrorem iniiciendum esse patet. Longe meliorem sine dubio assequentur effectum monita seria quidem, charitatem tamen spirantia atque consolantia, quae eius animum erigant atque confortent. Iam vero, quid huic interdicendum sit, tum ex causa, qua malum ortum est, tum ex occasionibus, quae ansam praebent singulorum peccatorum eruendum erit. Curatio autem, quae ex remediis ad corpus pertinentibus petitur, sicut in aliis rebus, ita et hic ad eum pertinere nequit, qui curam gerit animarum. Si iam valetudinis perturbationes apparent, poenitens simpliciter ad medicum remittendus est; semper autem ei suadendum erit, ut consilium petat a medico circa modum vivendi, qui maxime eo conducat, ut et corporis irritabilitas imminuatur et animi conatus contra masturbationum tentationes adiuventur.

Ex remediis contra hoc scelus nullum praestantius est quam matrimonium. Hinc etiam praecipua est petenda causa, cur ex iis, qui huic sceleri dediti sunt, pauci tantum

pro rata parte, effectibus supra expositis succumbant. Multi enim eorum imo plurimi tandem matrimonium ineunt, in quo optimum inveniunt remedium ipsis fortasse insciis. Esto, nonnullos etiam matrimonio iunctos a masturbatione non desistere, at hoc rarum est, et plerumque aliis ex causis oritur. Delectatio naturalis atque ordinata, quae ex copula legitima quaeritur, maxime erit idonea ad odium fastidiumque procreandum contra abusum naturae repugnantem. Qua de causa, ubicunque circumstantiae hoc permittunt, tum a medico tum a confessario masturbatores impellendi sunt, ut quantocius matrimonio se iungant. Hic autem impugnandus erit timor impotentiae, plerumque inanis. Sane genitalibus debilitatis nonnunquam ipse timor impotentiae animique afflictio ad tempus impotentiam efficere possunt, ex impotentia animi depressio nova atque maior orietur. Timor ergo impotentiae, ubicunque apparet, directe impugnandus est. Quod quidem plerumque medico praestandum est, cum ille aptior sit, qui hac de re loquatur et consulat. Maxime vero reprobandum et turpissimum est, si quando medicus tali homini timido atque anxio dat consilium adeundi meretricem potentiae experiendae causa. Neque minus abutitur fiducia sed plane sese opponit honestati morum etiam is, qui tali homini suadeat, ut ad masturbationem evitandam fruatur rebus venereis non contra naturam quidem, sed extra matrimonium, si ipsum matrimonium ad tempus aliis ex causis inire non possit. Tum unum tum alterum nihil aliud esset, nisi daemone daemonem eiicere velle et medicus gravis peccati se participem efficeret; utrumque tamen raro licet accidit.

Postquam expositum est, diuturnum masturbationis exercitium nonnunquam gravissimos nervorum morbos adducere, etsi apud allquos tristes illi effectus non adeo vehementer se ostendant, praetermittere non possum, quin moneam, ut a iudicio praematuro de connexione, quae intercedit inter causam et effectum, hac in re quam maxime cavendum sit. Nam ut ex pessimo illo corporis et animi statu, qui supra explicabatur, non semper concludere licet, scelus masturbationis esse eius

causam, ita pariter, etiamsi revera hoc scelus simul cum ista infirmitate nervorum eodem tempore adsit, tamen haec infirmitas non semper ex isto scelere secuta est. Saepissime enim longe aliter res se habet, praesertim apud eos, qui aegrotant ex animo, et apud hystericas. Non raro demonstrari potest, masturbationem oriri ex morbo tanquam ex sua causa. Quae quidem ad confessarium rarissime pertinebunt respectu eorum, qui aegrotant ex animo, saepissime autem respectu hystericarum. Inclinatio illa immoderata hystericarum ad pietatem, de qua supra erat sermo, et magna genitalium irritabilitas non raro apud illas se comitantur, et hoc ipsum est, quod maxime confessarios cruciare solet. Contendunt etiam aegrotantes istae, se pollutione plus minusve completa (comprimendo vel fricando clitoridem etc.) levationem sibi comparare posse quorundam dolorum.[1]) Sit ita, rem sic videri infirmis. Dolor enim et libido sibi obviam veniunt, itaque fieri potest, ut in systemate nervorum adeo perverso illa sibi succedant seseque mutuo excipiant. Minime vero ex hoc licet concludere, masturbationem his infirmis *permitti* posse. Esto, illis hunc modum agendi, ut ex corporis infirmitate ortum, non videri peccatum; materialiter tamen talis actio remanet illicita voluptatis venereae solutio. Praeterea periculum consentiendi profecto hic adest immediatum, praesertim, quum tactus isti, quod evitari nequit, saepius repetantur. Idcirco *permitti* certe nequeunt; si quis autem iudicaret, infirmae tale peccatum non posse imputari propter perversum totius personae habitum, illa saltem in hac re ratione careret neque amplius ad forum confessarii pertineret, sed sine excusatione ad medicum remittenda esset. Quodsi infirma plus minusve complete malitiam cognosceret vel dubium de malitia foveret, eademque contenderet, se propter dolores sive pruritus etc. abstinere non posse, ipsa de peccato materiali edocenda illudque propter proximum peccandi periculum ei interdicendum esset; ceterum moneri deberet, ut de

---

[1]) De tactibus impudicis, qui ad sedandum pruritum sive dolorem liciti sunt, conferantur ea, quae infra habentur.

infirmitate corporis, quae sine dubio adest, consilium peteret a medico. Quodsi hoc consilium recusare velit ex pudore, quo infirma afficeretur propter inquisitionem et deliberationem a medico instituendam, haud facile fides habenda est. Mulier vere pudica tantam ex statu ante descripto trahet molestiam adeoque aversabitur motus illos actionesque venereas, ut decentem medici consultationem certe non recuset, si ei dicatur, bene sperandum esse, fore ut tali modo tum ab infirmitate corporis tum ab animae periculo liberetur.

Impossibile est, omnia genera errorum hac in re enumerare, difficillimum etiam, omnes infirmae hystericae tergiversationes perspicere. Exemplum aliquod (licet generatim exempla non multum mihi arrideant) declaret meam hac de re sententiam.

Hysterica quaedam, ceteroquin bene morata, se accusat, quibusdam temporibus se committere tactus in partibus genitalibus; initio scilicet uniuscuiusque menstruationis per tres dies vehementibus se cruciari doloribus, quibus cogeretur in lecto remanere; dolores oriri noctu, interdiu eos vel omnino evanescere vel admodum leves esse; se consuluisse plures eosque celebres medicos de hac aegritudine, sed frustra; nunc se reperisse (quomodo hoc reperit?), dolores minui premendo vel fricando (clitoridem?), id quod tamen voluptatem veneream coniunctam secum duceret, quapropter hoc remedio ad dolores sedandos usa esset.

Estne huic mulieri talis contrectatio concedenda, an potius tanquam masturbatio interdicenda?

Mea quidem sententia interdicenda est; nulla enim hic subest ratio, cur huic hystericae, — quae, ut patet, peccatum materiale in actionibus istis satis perspicit, alioquin enim minime earundem se accusaret, — nulla, dico, habetur ratio, cur ad mitigandos dolores ipsi liceat facere, quod in se est illicitum. Omittam prorsus, totam narrationem, saltem iuxta rationes physiologicas et pro homine sanae mentis, veritati minus conformem videri. Dolores, qui occasione menstruationis sentiuntur, plerumque vel fortasse unice oriuntur ex abundantiore

sanguinis profluvio in partes genitales interiores. Irritatio autem genitalium exteriorum hoc profluvium sanguinis augere tantum potest. Cogitari quidem posset, tale abundantius sanguinis profluvium promovere menstruum, unde dein dolores mitigarentur; at cur tunc interdiu cessant dolores, noctu redeunt, ut contrectationibus supra dictis iterum leniantur? Equidem non video nisi unam huius rei verisimilem explicationem. Abundantius illud tempore menstruationis profluvium sanguinis ad genitalia simul cum doloribus fortasse inde orientibus (?) in nervis iam adeo irritatis insuper provocat maiorem quandam commotionem libidinis. Duo isti sensus se permiscent moventque infirmam ad satiandum unum ex desideriis, quae in se sentit. Potest utique fieri, ut vi lassitudinis, quae sequitur, etiam dolor relaxetur, atque ex eo infirma sibi ipsi persuadeat, se non agere ad satiandam libidinem veneream, sed ad leniendos dolores. Fortasse interdiu non facile reperit occasionem talia clam peragendi; fortasse etiam interdiu variis occupationibus mens magis avertitur ab istis affectibus vitiosis, unde tantum noctu hoc remedio utitur.

Num vero sufficiet, — supposito quod infirmae culpa assignari possit, ac quod omnes aliae intentiones sint exclusae, — sufficietne intentio leniendi dolorem licet acerbissimum, ut exinde masturbatio in se illicita fiat licita? Nemo non videt, magnum intercedere discrimen inter tactum impudicum, quem per accidens sequitur pollutio, et masturbationem i. e. eum tactum impudicum, qui aptus est ad hoc, ut directe pollutionem provocet. Quoad virum nemo fortasse hac de re dubitarit. Etiam viro tactus impudicus ad dolorem sive pruritum sedandum certe licet, etiamsi per accidens sequeretur pollutio. Iam vero quum provocatio pollutionis in se illicita sit, etiam *illi* tactus impudici, qui directe pollutionem efficiunt, permitti nequeunt. Ita v. gr. radere in partibus genitalibus, fricare cutem scroti partiumque vicinarum, non esset illicitum, quia hoc nonnisi per accidens pollutionem adducit. Contra si quis ad pruritum sedandum fricaret penem vel glandem penis, immediatam poneret causam erectionis et

pollutionis, directe excitaret voluptatem veneream adduceretque periculum consentiendi, quod pro rerum natura superari fere nequit. Quo in casu praeterea tum primum sedatio pruritus videtur exspectanda, quum, expleta voluptate venerea materiali ac pollutione perfecta, concitatio nervorum atque irritatio deminuta sit. Hinc tactus illi masturbatorii in viro a theologis simpliciter prohibentur, eo quod provocationem pollutionis illicitam declarant.

Quandoquidem apud mulieres pollutio eo sensu, quo hoc vocabulo utunter theologi, non habetur,[1]) „quia verum semen in mulieribus non datur," hinc theologi masturbationem apud mulieres inter tactus impudicos numerant.[2])

Iam vero ubi exponunt, quantum peccatum in his tactibus positum sit, dicunt: „Non peccant per se, qui tangunt (sc. impudice) ad pruritum sedandum."[3]) Illiciti autem sunt tactus impudici, „etiam secluso effectu venereo, ob gravem indecentiam et imminens libidinis periculum." An istud hic intelligendum est, de quo in praesenti est sermo? *Periculum* propius vel remotius libidinis, delectationis carneae, quod ex tactibus ad pruritum sedandum oritur, certe comparari nequit cum effectibus contrectationum illarum, de quibus supra disserebatur. Hae enim *directe* et *in se* ita sunt comparatae, ut non solum delectationem antea non quaesitam provocent, sed etiam ipsam plenam voluptatem venereamusque ad satietatem certissime efficiant, quia in ea genitalium parte fiunt, quae ex natura sua est ipsa sedes voluptatis carnalis. Idem dicendum

---

[1]) Distinctio illa, quam ponit Debreyne, qui l. c. pag. 149 seq. masturbationem coniunctam cum effusione externa vel interna in muliere distinguendam esse putat a simplici aestu libidinoso vel commotione inordinata, quae, nisi subsequatur pollutio, sensim sine sensu extraordinario evanescat, — falsa mihi videtur et inutilis. Veri seminis effusio in muliere nunquam accidit, ideoque pollutio proprio sensu nunquam habetur. E contrario potest voluptas venerea etiam usque ad plenam satietatem adesse sine ulla effusione.

[2]) Cfr. Gury l. c. tom. I. pag. 418. not.

[3]) Gury l. c. tom. I. pag 409.

est de contrectationibus, ope digitorum vel aliorum instrumentorum perpetratis, quae tactum vel irritationem vaginae et uteri spectant, quum hae similiter commotionem voluptatis venerae directe efficere valeant.[1])

In hac voluptate venerea, quae contrectationibus in clitoride, vagina, utero vel in omnibus his partibus simul immediate exsolvitur, puto propriam masturbationis naturam agnoscendam esse. Hanc eandem sententiam etiam exponit dissertatio quaedam in ephemeride „Nouvelle Revue Théologique", quae dissertatio inscribitur: „De pollutione feminea", auctore A. Eschbach, Superiore seminarii gallici Romae, — ubi auctor haud dubie profitetur, veram naturam masturbationis (quam theologi pollutionem vocant) non in frustratione seminis, sed in illicita delectatione venerea sitam esse. In utroque quidem est malitia pollutionis, sed primario tamen et principaliter pollutio fit peccatum ex delectatione illicita, „ita ut si Creator Deus generationis organa ita disposuisset, ut perinde ac in sexu sequiori (sc. ovula) ita etiam apud virum superfluum semen vel nocivum absque libidine effluceret, liceret utique procurare huiusmodi fluxum ad servandam vitam vel sanitatem." — „Quare etiamsi in pollutione nulla haberetur seminis frustratio, uti apud senes obtinet, idem specie peccatum foret." (l. c.)

Quo posito discrimen inter masturbationem viri et mulieris admitti non iam potest, adeoque tactus illi impudici i. e. contrectationes, quae directe et in se aptae sunt ad voluptatem veneream exsolvendam, in utroque sexu pari modo

---

[1]) Debreyne masturbationem ex irritatione uteri orientem („masturbation utérine" ut ipse eam appellat) esse graviorem masturbationis speciem putat, propterea quod irritatio uteri vehemens ac saepius repetita feminam sterilem reddere immediate valeat. Negari quidem nequit, vexationem uteri efficere posse et reapse saepe efficere inflammationes, ulcera, imo et cancrum uteri atque ex illis sterilitatem. Utrum vero hoc speciem peccati mutare valeat, dubium mihi videtur. Etiam masturbatio, quae oritur ex irritatione clitoridis („masturbation clitoridienne", Debreyne), totam naturam, genitalibus minime exceptis, adeo perturbat, ut etiam ex ipsa sine dubio saepe evadat sterilitas.

illicitae habendae sunt. At nemo non videt alia ex parte, specie differe simplicem tactum impudicum et masturbationem etiam in muliere, satisque patet, etiam mulieri masturbationem permitti non posse ad pruritum seu dolorem sedandum.

De ceteris luxuriae speciebus, quae naturae repugnant, hic non disseram. Earum effectus in corpore et anima similes sunt effectibus masturbationis. Unum hic liceat adiicere, paederastiam non esse adeo rarum, quam forte quis credat. Licet etiam veteres pagani et ipsi philosophi in hoc scelere volutati fuerint, nostrae tamen aetatis homines, credo, primum conati sunt, literis et arte eius defendere honestatem atque postulare a societate, ut ipsa hoc scelus tanquam licitum atque naturae conveniens in vita et legislatione agnoscat. Vir quidam nomine Carolus Henricus Ulrichs, „privatis studiis vacans, in regno Hannoverano assessor ad disp., membrum societatis iurisconsultorum in Germania, auctor complurium librorum praemio ornatorum“, (in 7, quantum ego sciam, libris, quorum ultimus anno 1868 prelum reliquit) hoc opus aggressus est. Iste in praefatione alicuius libri inter alia contendit, numerum paederastorum esse in Germania circiter 25,000, in Austria et Hungaria circiter 25,000—28,000. Quos numeros, ut ipse ait, ex literarum commercio inter illos miseros ipsos rescivit. Horrenda sunt, si vera fatur; quot enim victimas belluinae suae voluptatis bestiales isti homines ad interitum adducent! — Anno 1877 insuper Berolini alius liber in lucem editus est, in quo auctor, iuxta philosophiam hodie iam communem, impiam ac materialismo addictam, systema absolutae sexuum inter se libertatis componit atque argumentis fulcire conatur. Conditiones huic libertati adiectae ad has solas reducuntur: ne extra matrimonium generentur liberi, neve commercia inter fratres sororesque sint *nimis* frequentia, quum sic nimis cresceret numerus nuptiarum inter fratres et sorores nimiumque augeretur genus humanum. Ceterum commercia inter utrumque sexum, tum quoad electionem personarum et circumstantiarum, tum quoad locum et tempus (etiam in via

publica!), nec non quoad modum (etiam masturbationem et sodomiam), absolute absque ullis limitibus concedenda esse putat Tandem auctor adhortatur lectorem, ut circumferendo libros, qui hac de re agunt, et deducendo in usum principia allata (interim tantum in angustioribus limitibus), aliquid conferat ad efformandam rempublicam, in qua quoad commercium sexuum plena habeatur libertas.[1])

II. DE POLLUTIONIBUS.

Pollutio i. e. effusio seminis est eventum physiologicum, quod in omnibus hominibus masculini sexus accedit vel accidere potest, etiam tum, quum ex parte hominis nulla causa ponatur neque interna vel externa, neque propior vel remotior. Si commotionem libidinis interne vel externe provocatam praetermittimus, pollutio generatim oritur ex ea irritatione, quam semen exercet in vasa seminalia. Quo facilius haec irritantur, eo frequentius ceteris paribus pollutio locum habebit. Hinc frequentissimae erunt pollutiones tum apud homines robustos, sanguine abundantes ac fervidiores natura, fortasse etiam luxuriose insuper viventes, tum apud eos, quorum nervi morbo affecti facillime commoventur, vel etiam apud eos, quorum partes genitales tantum, praecedenti intemperantia debilitatae ac morbidae, valde irritabiles evaserunt. In prioribus pollutiones fere semper tempore somni locum habent; in iis, quorum nervi aegrotant, etiam tempore vigiliae; apud eos denique, quorum genitalia luxuria et praesertim diuturna masturbatione valde confecta sunt, fere unice tempore vigiliae accident.

Physiologica pollutio in homine sano plerumque aequalibus fere intervallis redit, idque semper tempore somni. Quae intervalla, pro diversa constitutione corporis diversoque usu vivendi, et ipsa diversa erunt seseque extendunt a spatio 8 dierum usque

[1]) Horum librorum tituli sicut et tabernae, quae eos redimunt, consulto hic non apponuntur; ei, qui studii causa libros istos desiderat, titulos accuratiores non invitus indicabo.

ad spatium complurium mensium. Hoc pollutionis genus nullum damnum affert valetudini, ac sine dubio, quandoquidem in somno accidit,[1]) omni culpa caret.

Quid vero, si quis expergefactus animadvertit, effusionem seminis instare vel iam coepisse? Teneturne, emissionem seminis impedire? Negant theologi quam plurimi; primum quidem, „quia valde difficile vel plane impossibile est, emissionem impedire; secundo, quia semen retentum corrumpitur, neque quisquam obligatur ad hoc, ut impedita emmissione seminis corrupti se exponat periculo, quod imminet, in morbum incidendi." Haec argumentatio minime videtur admittenda. Ad primam rationem animadverto, difficultatem maiorem vel minorem hic non esse respiciendam. Imo concedo sine ulla dubitatione hanc difficultatem. Effusione sc. incepta ea seminis pars, quae e vasis seminalibus iam egressa est, certe effluet, sive statim sive postea cum emissione urinae. Pars vero in vasis seminalibus etiamtum detenta ita se habebit, ac si effusio nondum coepisset, sed instaret. Utrum aliquo modo contingat, ut effusio impediatur, id quidem ex circumstantiis dependet. At inde non sequitur, ne conatum quidem prudenter faciendum esse. Voluptas completa coniuncta est cum effusione; quod si ergo contingat, effusionem impedire, etiam periculum consentiendi in voluptatem, ut patet, valde deminuitur. At etiam si non contingat, tamen fortissima illa voluntas, quae in remediis adhibendis requiritur, saltem iuvabit ad deminuendum vel plane removendum periculum consensus. Ad impossibile quidem nemo tenetur, verum id quod praestari potest, etiam hac in re non erit omittendum. Quae quidem eo magis valere debent, quod secunda ratio, ex periculo aegrotationis propter semen corruptum petita, omni caret fundamento. Tale enim semen corruptum, quod aliquo modo corpori morbum inferre posset, nullum est. Si quae pars seminis ex vasis seminalibus in urethram (fistulam urinalem) pervenit, aliquo modo defluit, semper tamen ita, ut valetudo hinc nihil

[1]) Supponitur, ut patet, pollutionem non esse adductam obscoenis imaginibus, lectionibus, locutionibus vel alia causa ante somnum voluntarie admissa.

detrimenti capiat. Altera seminis pars remanet, eo *modo* et eo *loco,* quo erat antea. Hoc non minus certum est, quam hoc aliud, omissionem vel suppressionem pollutionis, etiamsi superabundet semen, ad summum molestiam aliquam ad tempus afferre, nunquam autem damnum aliquod grave vel diuturnum valetudinis efficere posse.

Quapropter ita dico: Utique obligati sumus, remediis convenientibus prudenter uti ad impediendam pollutionem, quae imminet vel iam coepit, dum somno excitamur. Talia remedia sunt: conatus quam primum plene somnum excutiendi; deinde firmus actus eliciatur voluntatis, fortasse coniunctus cum elevatione mentis ad Deum aliisve piis motibus in animo excitandis. Prudens etiam est consilium, frigidiorem quaerere locum in lecto, vel e lecto desilire. Tandem si spasmus et excitatio genitalium aliquanto deminuta est (antea enim plerumque fieri non poterit), vehementer commendo, ut statim vesicam exonerent. Vesica enim adimpleta premit atque irritat vasa seminalia; quodsi vesica erit exonerata, irritatio semper valde minuetur. Haec mihi tanti momenti videntur, ut iis, qui frequentibus pollutionibus afficiuntur, semper suadeam, ut non tantum cubitum ituri vesicam exonerent, sed etiam, si forte nocte expergefiant, hoc nunquam facere omittant.

Obiiciunt, periculosum esse, hic obligationem imponere, quandoquidem hoc occasionem praebeat multis anxietatibus et scrupulis inquirentium, utrum conatus supprimendi satis fortis fuerit etc. At periculum hoc non magni aestimandum esse puto; e contra ipse actus voluntatis quem postulo, ad conscientiam anxiam pacandam magnopere idoneus videtur. Quaeritur: Si quis experientia sciret, periculum consensus in tali casu sibi minime adesse, num is nihilominus obligatus censeri debeat ad hoc, ut conetur effusionem supprimere? Respondeo, securitatem huic experientiae innixam nimis facile decipere. Porro cur conatum omittemus, quandoquidem ille ne perdifficilis quidem est, neque quidquam damni afferre potest? Nonne actus ille voluntatis revera necessarius est, ut quis a consensu tutum se reddat? Nonne omissio omnis conatus iam ultra resistentiam passivam progreditur adeoque magnum consentiendi periculum in se continet?

Quum pollutiones *valde* frequentes etiam in hominibus ceteroquin sanis non tantum per se languorem quendam plus minusve gravem toti corpori inferre, sed etiam frequentiorem pollutionis iterationem adducere possint, non erit vanum, nonnullas alias cautiones hic adiicere in usum eorum, qui frequentibus pollutionibus cruciantur. Imprimis evitent illi lectos plumeos, neve spissiore se contegant opertorio; ne dormiant supini, sed semper in latus recubantes, quia cubitus supinus ad somnia ac praesertim ad somnia libidinosa disponit; cibus vespertinus sit levis, non copiosior minimeque calefaciens; etiam potus spirituosi praesertim fervidiores ut graviora et calida illa vina, cerevisiae, „Punsch“ vespere vel omnino ne sumantur vel parcissime tantum, si adest inclinatio ad frequentes pollutiones; denique necessarium est, non solum vespere sed toto etiam die ab irritamentis, quantum fieri potest, abstinere, frequenter deambulando salubri aëre frui, et ubi datur occasio, balneis frigidis uti.

De curatione ope medicinae assequenda nihil hic addendum esse puto; plerumque enim haec non requiritur, ubi autem necessaria sit, nec potest nec debet unquam praescribi nisi a solo medico et pro singulis quibusque laborantibus.

Quaecunque dicta sunt de pollutionibus, quae inter expergiscendum incipiunt, valent etiam, ut patet, de iis pollutionibus, quae inter vigilandum accidunt. Hoc saltem affirmandum erit de pollutionibus occurrentibus in hominibus sanis, non minus quam in iis, quorum nervi tam facile incitantur, ut eorum valetudo ab infirmitate non multum distet, licet proprie infirmi dici nondum possint. Acrior voluntatis actus hic semper aliquid valebit, ideoque magis, quo homo plene vigilans ideoque magis sui compos est. Eatenus vero hic ratio occurrit aliquanto diversa, quatenus pollutionum inter vigilandum occurrentium plerumque causa quaedam externa invenitur. Quaevis sensuum titillatio (in ludis scenicis, saltatione, confessione, in tactibus et aspectibus apud medicos, lectione etc.), quin etiam vivida imaginatio libidinosa vel involuntaria, non raro locale irritamentum in genitalibus, periculum pollutionis vel etiam celerem eius solutionem adducet. Si quis has causas pollutionem

efficientes effugere potest, sine dubio ad hoc tenetur, quia actus voluntatis sine hac fuga omni vi caret. Qui vult finem, debet etiam velle adhibere media possibilia. Ubi vero fuga impossibilis est, ut v. gr. intra confessionem, in explorationibus et functionibus medicis, ex sententia communi theologorum pollutio secluso consensu omni culpa caret. Inter irritamenta localia in genitalibus frequentissimum est illud, quod oritur ex cumulatione smegmatis praeputialis. Apud caelibes imprimis, qui plerumque glandem penis praeputio tectam gerunt, talis accumulatio frequenter accidet, nisi iusta munditia eam impediat. Lavatio praeputio remoto singulis hebdomadibus repetita sufficiet, istud incommodum eiusque effectum impedire. Talem lavationem interdum stimulum peccati addere posse, negari nequit; certum est etiam, occasionem tentationis non necessariam evitandam esse; at, quum smegmatis accumulatio irritamentum efficiat longe periculosius ac diuturnius, lavationes illae necessariae sunt ideoque minime omittendae et id praesertim aestate. — Ceterum his hominibus tam facile irritandis suadendum est, ut medicum adeant, quum remediis diaeteticis et medicinalibus bene selectis plerumque irritabilitas deminui possit.

Dicendum est denique de pollutione diurna passiva (Debreyne). Haec pollutio, omnime „passiva“ appellata, etiam noctu accidit, at rarissime tantum; fere sine exceptione locum habet in vigilantibus, etiam absque ulla causa interna vel externa libidinem commovente et absque ulla voluptate venerea. Saepe singularem commotionem non excitat, non raro autem cum incommodo, imo cum dolore in genitalibus partibusque vicinis coniungitur. Irritationes levissimae v. gr. vermes in intestino recto, alvus gravius astricta, irritatio haemorrhoidum vel fissurarum ani, smegmatis, de quo supra erat sermo, cumulatio etiam exigua, imo frequentissime irritatio proveniens ex quotidianis actionibus deiectionis alvi et minctionis directe et proxime ad pollutionem passivam ansam praebent. Vera autem causa magnae huius genitalium imbecillitatis — si paucissimos excipias casus, in quibus alia quaeque affectio morbosa ut causa deprehenditur, — fere semper quaerenda est in vita intemperantius peracta, plerumque in

masturbatione diu continuata, cuius ita se manifestant tristes effectus. Isti miseri omne fere robur voluntatis amiserunt; et etiamsi ipsis animus esset, firmissimum voluntatis actum elicere, pollutionem tamen impedire non valerent. Novum peccatum in huiusmodi pollutionibus profecto adesse nequit.[1]) Confessarius nihil aliud potest, nisi hos tueri a novo quodam peccato, quod semel commissum nunquam erit expiandum, a desperatione scilicet et suicidio. Neque enim quoad corpus tantum illi miserrimi sunt, sed etiam immensa, ut ait Debreyne, vitae satietate ac taedio vexantur, quo incredibili vi compelluntur, miserae huic vitae finem imponere. Colloquiis placantibus, confirmantibus atque consolantibus opera danda est, ut haec anima salvetur. Quodsi talis homo masturbationem plane abiecit, plerumque salvari potest remanetque ei illud solatium, quod in praesenti magis forsitan prodesse poterit, quam solatia religionis. Quapropter consilium tali misero unice iustum ac necessariam est, ut aperte ac candide medico se credere velit, simulque persuasum habeat, medicum esse auxilium allaturum. Recollectis viribus corporis etiam anima convalescet itaque voluntas vim suam in cogitando et moribus recuperare poterit.

Theologi, ubi de „pollutione“ disserunt, iure merito etiam de „distillatione“ sermonem instituunt. Quae distillatio est profluvium humoris pituitosi ex urethra. Humor iste oritur ex glandula prostata et ex glandulis pituitariis urethrae nihilque commune habet cum semine proprie dicto, nisi effluvii locum. Distillatio locum habere potest in hominibus puberibus atque impuberibus (etiam in castratis), potest masturbatione provocari vel etiam sponte accidere, potest tandem coniuncta esse cum voluptate vel ea carere.

Guri (l. c. tom. I. pag. 421) recte dicit: „Distillatio voluntaria, etiam tantum indirecta, si notabilis sit, seu cum notabili spirituum genitalium commotione fiat, peccatum mortale esse potest; quia est gravis deordinatio et proximum pollutionis

---

[1]) De culpabilitate propter libidinem praecedentem, quae praesentium pollutionum indirecta fuit causa, hic nobis non est disserendum.

periculum inducit.“ Nullius tamen ponderis mihi videtur esse, utrum copia humoris notabilis sit necne, dummodo commotio sit notabilis et voluntaria. „Si vero parva sit,“ pergit Gury, „et absque notabili commotione, distinguendum est: 1. Si directa voluntaria sit, nec a mortali potest excusari; quia quaecunque distillatio semper, vel ut plurimum, secum fert commotionem et aliquam seminis effusionem. — 2. Si indirecte tantum voluntaria sit, facile etiam ab omni peccato excusabitur, quia de tali fluxu non est magis curandum, quam de emissione cuiuscunque alterius excrementi, quo natura se exonerare solet.“

Ad 1. videtur notandum, in his verbis levem latere contradictionem, quandoquidem dicitur „si sit absque notabili commotione“ et „quia quaecunque distillatio secum fert commotionem“; at de his iudicare meum non est. Alterum vero, scilicet, quamcunque distillationem secum ferre aliquam seminis effusionem, verum non est, quum hoc definitioni distillationis repugnet. In praxi forte haec regula teneatur, quia poenitens rescire nequit, utrum aliquid seminis simul effusum sit necne, de facto autem res non ita se habet.

Ad 2. adverto tantum, etiam hic gravitatem culpae non videri dependere a copia humoris effusi; nam quamvis distillatio fuerit copiosa, sed sine notabili commotione et indirecte tantum voluntaria, equidem id non dicerem peccatum.

De distillatione quatenus peccatum est, impedienda, ea omnia ut patet, obtinent, quae supra de pollutione impedienda dicta sunt.

Frequentem distillationem „passivam“, quae sine ulla commotione ac sine voluptate carnali est, omni carere culpa et tanquam infirmitatem corporis ad medicum pertinere, ex supra dictis sponte sequitur.

Distillatio voluntariis actionibus venereis provocata mea quidem sententia vera est masturbatio, ita quidem, ut in idem genus eam adscriberem atque masturbationem feminarum, nisi periculum proximum ipsius pollutionis secum ferret. In iis autem, qui nondum puberes sunt aut castrati, eaedem occurrunt rationes atque in muliere, quum in utrisque nullum semen effundatur. Quaecunque sit copia effluvii, voluptas carnalis hoc masturbationis

modo directe solvitur, et haec „masturbatio sine pollutione“ iudicio meo supra exposito essentialiter distinguitur ab eo tactu impudico, qui „ad sordes abstergendas, ad pruritum seu dolorem sedandum, aut ad infirmitates curandas“ licitus est.

III. DE TACTIBUS ET ASPECTIBUS IMPUDICIS.

Licet iuxta theologos mulier non teneatur, ne ad vitam quidem sibi servandam, nudam se oculis et manibus chirurgi subiicere,[1]) certum est tamen etiam illud, nec tactus et aspectus, nec sermones et lectiones impudicas esse peccata, si causa aliqua necessaria vel utilis, vel conveniens animae aut corpori ea postulet. Certum est insuper, pollutiones ex ipsis fortasse provenientes, adhuc praevisas, non esse peccata, dummodo absit periculum consensus. Qua in re theologi plane consentiunt, neque minus sacerdotibus quam medicis molestum esset, si haec sententiarum unitas non esset, quia tunc saepius iis accideret, ut tuta conscientia munere fungi iam non possent. Sermones intra confessionem, sicut et aspectus et tactus in functionibus medici, saepius sunt eiusmodi, ut sacerdotes et medici ferrei et saxei esse deberent, si motus carnales, quos reflectorice excitatos esse dicam, in iis non orerentur.

„Prae oculis tamen habenda est limitatio,“ ait Ballerini (Gury l. c. tom. I. pag. 398 not.) „quam ex communi sententia S. Alphonsus apponit: *dummodo absit periculum consensus,* in pravos scilicet motus subortamque delectationem.“

Medicina recentior methodum inquirendi plane novam ac singularem excoluit, quae multo frequentius quam pridem usum

[1]) Haec sententia certa theologorum nequit impugnari, quatenus mulieres vel virgines respicit, quae nemini providere tenentur. Aliter autem iudicandum esse videtur, si simul ratio habenda sit officii erga tertium quendam, v. gr. curae pro familia, educationis liberorum, sustentationis ac curationis parentum, qui aetate iam sunt provecti, etc. Ut praetermittam, recusationem in tali casu facilius vinci, officium servandae vitae ac valetudinis his officiis erga alios ita augeri videtur, ut tactus aspectusque impudici ipsis necessarii iam sine peccato arceri nequeant.

auditus, visus atque tactus in nudum corpus reddit necessarium. Generatim affirmari debet, accuratissimam corporis perscrutationem non modo utilem, sed etiam necessariam esse. Denudationes et tactus hac in re nullo modo evitari posse, per se intelligitur. Alia quaestio est haec, annon saepe medici, paulatim hac in re laxiores facti, scrutationes non necessarias cum denudatione indecenti instituant et vere necessarias maiore cum indecentia, quam necessaria, peragant. Quae quidem ad conscientiam medici in singulis casibus pertinent, sicut pariter ac sola interna medici pertinet, praecavere consensum in motus inordinatos. Bene tamen secum consideret, suum esse, ut parcat verecundiae et conscientiae aegrotarum;[1]) nec minus spectet, contrectationes suas non minus in aegrotis quam in semetipso motus carnales provocare posse.

Quapropter haec semper regula tenenda est, tum tactus tum denudationes partium minus honestarum (pectoris, brachiorum, crurium) et partium turpium (genitalium iisque proximarum partium) tunc solum adhibenda esse, quum ad cognoscendum vel ad sanandum morbum aliquem necessaria vel utilia apparent. Minime quidem ignoro, non solos medicos huiusmodi inquisitionibus non necessariis vel minus necessariis ansam dare; sed id moneo, non raro accidere, ut feminae ipsae talia directe vel indirecte adducere conentur. Reminiscaris hysteriae. At etiam praeter hysteriam certe non minus frequenter, imo multo frequentius feminae aegrotantes ipsae ex culpabili concupiscentia has inquisitiones non necessarias afferre tentant, quam medicus ex libidine instituit. Medicus ad irritationem ex tactu et aspectu provenientem obdurescit consuetudine, ita ut ex una parte ceteris paribus rarius talia quaerat, quam alii homines, ex altera eaedem occasiones, quae pro aliis, qui non sunt medici, magnum secum ferrent periculum, in ipso motus carnales nequaquam excitent. Hoc ultimum tunc praesertim locum habet, quum huiusmodi inquisitiones vel functiones vere necessariae sunt. Ut enim omittam, gratiam divinam, quae cuique statui est propria etiam

[1]) Dico „aegrotarum“, quia in his res maioris est momenti, licet ea, quae dicta sunt, maxima ex parte etiam pro viris aegrotis valeant.

hic tutelam praebere, certum est facileque intelligitur, periculum motuum inordinatorum ac multo magis periculum consensus deminui, quia animus medici omnesque eius sensus in munere suo obeundo ad morbum eiusque notas maxime intenduntur. Quare, si medicus tunc solum huiusmodi contrectationes et denudationes instituit, quum *necessariae* sunt, in hac ipsa re optimam reperiet tutelam contra peccata luxuriae. Praeterea bonam sibi famam ita conservat, si hac in re potius cautiorem quam leviorem se ostendit. Hac tandem ratione etiam pudicitiae ac conscientiae infirmorum optime prospicitur. Inquisitioni ac denudationi *necessariae* aegrotus fere semper obtemperat et tuta quidem conscientia. Sed si qua mulier animadvertit, corpus suum tactibus et aspectibus non necessariis expositum esse, illa indignatur, si est honesta et pudica; fortasse etiam in ea commotiones atque adeo fortasse delectatio provocatur, quarum culpa in medicum improbum recidet.

Quodsi femina hoc moliatur, ut ex libidinosa concupiscentia huiusmodi contrectationibus in corpore suo ansam praebeat, medici est, recte iudicare, utrum hanc inclinationem dissimulare an expresse repudiare malit.

Ut autem tum bona fama tum conscientia medici atque infirmae remaneant intactae, medico suaderem, ut ubicunque fieri possit, contrectationes etc. in partibus turpibus vel minus honestis aegrotarum nunquam sine testibus peragat. Apud uxores adsit, si fieri potest, vir, apud virgines mater, soror, propinqua, custos. Si forte medicum hunc in finem cum infirma solum cum sola relinquere vellent, hic facile praesentiam alicuius desiderare et obtinere posset interposita aliqua causa, quae veram suam intentionem tegeret. Praesentia testis alicuius tuetur a calumniis, ab iis rebus, quae non sunt necessariae, atque etiam in rebus necessariis a motibus inordinatis et a consensu in eos. Mulier honesta pro hac cautela gratiam habebit, mulier libidinosa coërcebitur.

Imprimis velim admonere, ne unquam medicus infirmam sine testibus chloroformizet. Qua in re omnia tum calumniae tum delectationis pericula saltem in medico augentur. Hic insuper

medicus semper tanquam causam apte interponere potest periculum quoddam, quod cum hac actione semper coniunctum est, quapropter ea nunquam suscipienda est sine ullo auxilio (si fieri potest, advocetur aliquis rei peritus). Accidit sane, mihique talis casus notus est, ut femina quaedam extra matrimonium gravida contenderet, se in narcosi chloroformii ex medico suo gravidam factam esse. Contrarium nequit demonstrari atque ita bona fama medici imprudentis, licet fortasse innocentis deperdita est.

Postremo mentionem faciam rei cuiusdam, quae etiam hac aetate accidit etsi rarissime — sed ideo commemoro, ut iudicio theologorum eam subiiciam: — loquor de conatu, feminam arte fecundandi. Tentabatur hoc a nonnullis medicis[1]) iis in casibus, quum, copula rite instituta, bonoque emisso semine, gravidatio tamen non subsequebatur, quia semen non pervenit in uterum vel in vagina retineri omnino non potuit. Medicus ibi statim post copulam semen ex vagina in siphonem recollectum directe in uterum iniecit. Sims contendit, se hac ratione *semel* feminam fecundam reddidisse. Qua in causa, ad medicinam quod spectat, plura animadvertenda essent, quae huc non pertinent. Experimenta ceterorum medicorum fere omnium in homine irrita fuerunt (quamvis in animalibus, praesertim in ranis et in canibus bene successerint). Rei vero honestas si respiciatur, mihi quidem hucusque haec adeo obscura sunt, ut sententiam ferre non audeam.

Tactus et aspectus atque sermones, qui in functionibus medicis evitari quidem nequeunt, at apti tamen sunt, pudorem offendere, multum conferant ad hoc, ut etiam atque etiam restauretur quaestio de medicis femineis instituendis. Sane, hoc si respicias, res multa praebet, quae alliciunt. Alia vero ex parte functiones medici a muliere peractae tot secum ferunt incommoda, ut optimo quidem, ut puto, iure nonnisi rarissime consilium captum sit, mulieri *omnes* huius muneris functiones exsequendas permittere. Imo et obstetrices, quae sane maxima ex parte

[1]) Praeter alios a Dr. J. Marion Sims Nen-Eboracensi et a Dr. George Harley Londinensi.

functiones huc pertinentes apud mulieres administrare et ius et officium habent, in dies frequentius a mulieribus ipsis repudiantur, earumque loco medici advocantur. Esto, hic commoditatem quoque, fiduciam etc. esse in causa; hoc tamen ex ea re certe liquet, in mulieribus etiam honestis pudorem tactuum necessariorum et utilium a medico faciendorum non esse tantum, quantum primo intuitu videri possit. Licet nequaquam approbem, in partu ordinario nunc adeo frequenter auxilium peti a medico, ubi obstetrix plane sufficiat, attamen alia ex parte mulieri, cui difficillimum vitae suae tempus imminet, vitio vertere non possum, quod eius potius auxilium quaerat, cui maxime confidat. Quodsi obstetrices haberemus, quae *ex cultioribus hominum ordinibus ortae* ac *doctrina bene eruditae,* munere suo semper *omnino digne* fungerentur, mulieres, puto, semper has praeferrent prae medicis. Verum nunc obstetrices, saltem in Germania, ut custodes tantum fere habentur, ideoque mirum non est, mulieres saltem cultiores in iis non collocare tantum fiduciae, quantum conditio adeo difficilis requirit.

C. DE PRAECEPTIS ECCLESIAE.

Inter praecepta ecclesiae tria tantum sunt, de quibus medicina pastoralis adnotare pauca debeat: praeceptum missae saltem in diebus dominicis et festis audiendae, praeceptum ieiunii et abstinentiae praeceptum.

I. DE FREQUENTATIONE TEMPLI.

Negari non potest, theologos minime esse scrupulosos in admittendis causis, quae excusant a frequentatione templi. Etenim sequuntur hoc principium: „Excusat a missa audienda quaevis causa *mediocriter* gravis, seu quae involvit notabile incommodum vel damnum in bonis animae vel corporis proprii vel proximi.“ Quam ob rem mihi quoque licebit, pauca hoc loco disputare de illa excusatione: „Non possum ferre *aëra templorum*.“ Patet vero, mihi rem non esse, nisi cum his, qui argumentum hoc tuendae corporis valetudinis causa assumunt; ad illos autem, qui ob alias causas „templorum aëra sustinere“ nequeunt, quorum hodie ingens est numerus, mea haec non pertinet oratio.

Quid igitur de aëre templorum? Qui differt ab alio? Certe aër in templis multum corrumpitur magna multorum hominum frequentia, luminaribus accensis, thure combusto etc. Praeterea etiam illud sane fatendum est, generatim templorum ventilationi parum curae adhiberi. Hinc fit, ut revera aër templis inclusus plerumque propriam quandam naturam et adeo proprium quendam habeat odorem. Accedit, ut in templo inter sacra a multis,

imo saepe a valde multis hominibus circumdemur, quorum vicinia nos male afficit, taedium nobis et nauseam creans; deinde ut stando, genuflectendo semper nonnihil fatigemur; denique, ut, licet aedibus inclusi, iisdem, quibus in via, vestibus induti simus etc. In hieme praesertim pedes gelu rigent eo quod sine ullo motu commorandum est in loco non calefacto, lapidibus strato, cui nulla substructa est cella; in aestate temperatura aëris templo inclusi saepe multum distat ab aëre libero, quo fit, ut nocivi appulsus ex subita temperaturae mutatione orti omnino evitari nequeant.[1]) Satis multa igitur documenta sunt, ex quibus appareret, hanc in templo commorationem propter loci insolita adiuncta non esse mansionem usitatam. Illud quoque certum est, quidquid in hac re inusitatum est, non afferre aliquam iucunditatem, sed vere iniucundum esse ipsamque valetudinem non raro male afficere. Angores, spiritus defectiones (dispnoea), animi deliquia (syncope), nervorum commotiones directe sequuntur, frigoris iniuriae, inflammationes praecipue organorum respirationis non raro indirecte illis, quae supra dixi, adiunctis producuntur. Neque ad id requiritur, ut quis vere aegrotet, nam et status sunt physiologici, quibus templi frequentatio saepe damnum afferat.

Eos, qui acutis morbis affecti sunt, a frequentatione templi dispensari, per se intelligitur. Eos autem, qui morbis chronicis laborant, non obligandos esse, aliquando non minus apertum esse potest. Dubia igitur est quaestio de iis, qui universe quidem hominum sanorum instar vivunt, attamen templorum aëra ferre nequeunt. Praeter eos, qui imbecillioris sunt valetudinis, huc

[1]) Eos, quibus ventilandi templi cura commissa est (sacristanos atque parochos), non unice per huius negligentiam peccare in valetudinem fidelium ecclesiam visitantium, non est quod commemorem. Illud tantum addam, saepe e. c. diebus, quibus confessiones excipiuntur (sabbatis), post meridiem demum templum lavari at purgari; quo fit, ut poenitentes per plures saepe horas debeant commorari in templo etiam *humido*. In aliis ecclesiis pueris desunt idonea scabella ad genuflectendum. Quum invigilandi causa ad sellas sive scamna maiora non admittantur, scabella autem non adsint, pueri inter sacra et catechismum saepe diu super lapides ipsos genuflectere coguntur. His vitiis atque similibus, quae facile evitari possunt, multi atque graves morbi efficiuntur.

pertinent etiam omnes, quorum nervi aut infirmi sunt aut nimis contenti. In primis autem plerique hypochondriaci et hysterici illa aëra ferre non possunt. Eiusmodi dispositiones, quum vere morbidae sint et minime sola opinione fingantur, equidem censeo, infirmorum querelas pro certis habendas esse, simulatque rationabiliter supponi potest, causam cur non ferant, ad indifferentismum religiosum non referri. Quin imo fieri potest, ut hypochondriacus in frequentissimo sociorum circulo, in loco praeterea tabaci vaporibus pleno, utque hysterica in calido et refertissimo theatro bene se habeat, iidem in ecclesia continuo angorem et animi deliquium patiantur. Quodsi eiusmodi personae et generatim, ut dixi, homines nervis laborantes saepius experti sunt, se frequentanda ecclesia ita male affici, nihil remanet, nisi ut re ipsis relicta censeantur non esse obligati, eisque consulatur, ut hinc inde experientiae cause, id quod diebus intra hebdomadam optime fieri potest, ecclesiam adeant.

Physiologicae affectiones supra dictae, quarum similis est ratio, praecipue in muliere inveniuntur: Interdum tempus menstruationis et lactationis, tempus autem gestationis saepissime disponit mulierem ad istas affectiones, quae in frequentanda ecclesia ex illis, quas commemoravi, rationibus et conditionibus proveniunt. Hoc saepissime accidit in primis et ultimis mensibus graviditatis. Qua in re quamvis non sit dubium, quin homines cultioris conditionis *nimium sibi indulgeant,* tamen praesertim quum simul etiam infantis sit habenda ratio, a nimia severitate cavendum est. Ratione et prudentia suppositis, equidem mulieri gravidae aliquamdiu vetarem, ne ecclesiam adiret, si pluries inde malos effectus experta esset, quamvis credam, mulierem in hoc statu pietatis religionisque solatium desiderare atque oratione indigere. Ratio autem illa et prudentia, quam dixi, in hoc est posita, ut opportunas vestes induant, quibus minime corpus coartetur vel oneretur, ut pedes inprimis ab uligine et frigore bene defendantur; porro ut tum primae diei horae evitentur tum ultimae missae eo tempore, quo aër maxime corruptus est; stomachus ne sit plane vacuus neve cibis refertus; neve mulier diutius stet multoque minus genuflectat diutius, sed

quantum fieri possit in sella vel scamno sedeat, mutetque positionem etc. Quodsi haec omnia non iuvant neque a seriis angoribus et deliquii accessionibus defendunt, ad tempus intermittenda visitatio ecclesiae et post aliquot hebdomadas denuo tentanda est. Rarissime fit, ut mulier per totum tempus graviditatis in ecclesia eiusmodi affectionibus obiiciatur.

Hoc loco adiungam pauca de illa consuetudine, quae multis in regionibus viget, puerperae primum exitum ad ecclesiam faciendum esse et infirmum vel convalescentem, quam primum domo exire ei licuerit, ad templum frequentandum obligari. Gury (l. c. tom. I, p. 346) dicit iuxta Liguori: „Excusantur aegroti, infirmi, convalescentes, quibus nocet foras prodire.“ Hinc sane non licet concludere, ergo omnes, quibus non nocet foras prodire, ad ecclesiam frequentandam obligari. Ex supradictis satis manifestum erit, non esse unum idemque, utrum hominem e cubiculo foras prodire velim, an eundem obligem ad ecclesiam visitandam. Quare equidem auctor sim et ipse semper hunc usum observavi, ut puerperae et convalescenti non permittatur *primum* exitum facere ad ecclesiam, sed antea *iubeantur,* saltem aliquoties foras prodire. Etiam multis convalescentibus modica ambulatio sub sereno coelo, quippe quae necessaria sit, suadenda videbitur, visitatio ecclesiae autem interdicenda. Hi vero, ne aliis scandalo sint, poterint forte ambulationem omittere eo tempore, quo sacra fiunt, vel etiam illis diebus, quibus locorum rationes id postulant.

Legitur quidem apud theologos, ut omnes huiusmodi homines sequantur consilium medici; nihilominus non supervacaneum esse duxi, quaedam hoc loco ponere, quae iuvent ad illas affectiones et conditiones recte iudicandas.

II. DE PRAECEPTO IEIUNII.

Etiam in ieiunando quivis medici consilium sequatur, sed, inquiunt theologi, „medici religiosi et timorati consulendi sunt, si facile fieri possit.“ Si quis vere aegrotat, res in dubium non

vocatur. Contra, si quis vere aegrotus non sit, et aliam excusationem a ieiunio servando afferre non possit, medicus saepe non magis consulere poterit quam parochus. Illi, qui bene valent, ipsi certe scire debent, utrum ieiunare possint nec ne. Nihilominus autem non raro huiusmodi homines medicos interrogant, num ieiunare debeant, idque nimirum ea mente faciunt, ne ipsi rem decidere cogantur et ut in medici consilio tuta conscientia aquiescere possint. Tum prudens quisque et timoratus medicus, ut ego opinor, dicere debet: Ipse vederis. At vero, quum in Germania religiones mixtae sint et a protestantibus ieiunium aperte reiiciatur, saepissime fit, ut homines „consilio", quod medicus dederit, multum abutantur, sive scienter sive forte temere id faciant. Quam sit medicis necessaria severitas, hoc loco longius disserere supersedeo, nam medici ad quos pertinet, non legunt, et qui legunt, quid faciendum sit, bene sciunt. Id sane constat, concionatorem quendam optimo iure dixisse: „Persuasum mihi est, multo plures esse homines, qui tribus diebus bacchanalibus ex nimiis cibis aegrotent, quam qui per totum tempus quadragesimale parum comedendo virium ac valetudinis iacturam faciant."

Causae excusantes a ieiunio apud theologos proponuntur:

1. *Dispensatio superioris,* papae, episcopi dioceseos, ex consuetudine etiam parochi et confessarii. Medicus nullo modo potest dispensare, sed tantum declarare, utrum ex causis medicis aliquis ieiunare non possit et debeat. „Ad ipsos (sc. medicos) non pertinet, nisi declarare (conscientiose tamen, ne aliorum peccatis graventur), quaenam sit causa vere sufficiens" (Scavini l. c. tom. I, pag. 285).

2. *Impotentia physica.* Aegroti et convalescentes, mulieres gravidae et lactantes, pauperes, qui certas et sufficientes refectiones sibi parare non possunt, ieiunare non tenentur.

3. *Impotentia moralis.* Illi, quibus ieiunium vehementes capitis dolores, vertiginem etc. efficit; milites, qui in castris et in contuberniis versantur; mulieres, quas mariti ieiunare prohibent quibusque, nisi obedirent maritis, gravissima incommoda nascerentur; mariti, qui ieiunantes omnino nequeunt debitum

uxoribus solvere; omnes homines ante 21. aetatis annum completum; senes imbecilles, quae senectutis aetas a plerisque in viris annus 60., a multis in mulieribus 50. annus recensetur: hi omnes satis habent, cur a ieiunandi praecepto excusatos se dicant.

4. *Labor* tunc liberat, cum sit talis, ut sine notabili corporis defatigatione exerceri non possit. Excusant omnia opera servilia ardua et occupationes, in quibus corpus assidue agitatur, molesta itinera, etiamsi equo et curru peraguntur. Famuli etiam fere semper excusantur.

5. *Pietas.* Molesta et gravia misericordiae opera tam spiritualia quam temporalia, cura infirmorum in nosocomio, officium assidue confessiones audiendi, munera concionatorum, etiam iudicum, medicorum, advocatorum, magistrorum aliquoties facile excusationem admittunt.

Hisce causis excusantibus mihi pro medico non multa videntur adiicienda esse. Quum dicitur, mulieres per tempus gestationis et lactationis a praecepto ieiunii esse dispensatas, equidem additum velim: etiam per tempus menstruationis. Eo enim tempore corpus mulieris rebus, quae in regione genitalium aguntur, adeo occupatur, ac praesertim nervi saepe ita afficiuntur, ut satis causae sit, cur nulla ciborum subtractio postuletur, atque adeo saepe directe prohibeatur. Quod si haec omnia fiant, bene provisa sunt, quae ab homine prudenti postulari possunt. Cuicunque nulla harum causarum, quas enumeravimus, favet, neque impossibilitas physica seu moralis, neque pietas vel caritas vel labor, is medicum et parochum precibus dispensationum ne adeat, nam ieiunare *non vult,* neve huius rei imputationem in alios humeros ex ignavia reiiciat, sed totum onus in se ipsum recipiat.

Praeterea addam res aliquas, quae in vita saepe usuveniunt et quae, quomodo a theologis decidantur, mihi dubitationem movent. Liquidum non frangit ieiunium, axioma est theologorum. Hinc inter ieiunandum licitae sunt potiones sed eae tantum, quae in usu sunt ut simplices potiones. Huc pertinent ex communi omnium theologorum consensu: aqua mixta saccharo et succo mali citrei, caffetum, theum, ea conditione, ne addito nimio saccharo

potius pulmenta sint quam potus. Eodem sensu etiam vinum et cerevisia sunt potus liciti. „Aliter esset de sumptione lactis, iusculi, succi pomorum (vulgo melons) et aliorum fructuum, item uvarum confectarum aut dentibus pressarum, licet postea exspuantur. Nam haec omnia censentur habere rationem cibi; et potius ad nutritionem, quam ad cibi vehiculum referuntur.“ (Scavini tom. I. pag. 279.) — Item secundum Liguori dicit Gury (l. c. tom. I. pag. 454): Per *liquidum* autem id solum intelligitur, quod *ex communi usu* sumitur per modum potus, non vero per modum cibi, ut lac etc.“ Lac igitur est, quod mihi movet dubitationem, quum opponitur chocolato ab omnibus theologis permisso (aqua scilicet, non lacte parato). „Potio chocolati non frangit ieiunium, si modica chocolati quantitas sumatur, et semel tantum in die fiat. Ratio ex generali consuetudine deducitur.“ Deinde additur, „unciam cum dimidia chocolati in cyathis ordinariis“ esse quantitatem licitam. Uncia cum dimidia, id est circiter 45 grammata chocolati in uno cyatho, etiam in cyatho maiori, efficiunt talem potionem, quae idem fere alimenti habet, quod in uno cyatho lactis inest, ad famem autem explendam lacti fere praestat.[1]) Numquid igitur consuetudo generalis hic sufficit, ut ex duabus rebus, quae idem efficiunt, una licita, altera illicita habeatur? Praeterea chocolatum multo magis per modum cibi sumitur (chocolata sicca), quam lac, quod per se vera est potio, etiamsi alibilis potio est et non minus ad sitim sedandam quam vehiculum cibi[2]) saepe adhibetur. Hinc etiam quaedam disparitas est praesertim inter rus et urbem. Ruri lac potio est facillima et chocolato multo frequentior. Ego autem existimo, agricolam, qui lac pro simplici potione habet, de chocolato non facile idem dicturum esse. Cur lac vetitum esse sentiam, id sane unice interest, quod lac ex animalibus proficiscitur. Haec, credo, initio

---

[1]) In potu chocolati etiam tota substantia solida simul consumitur, in caffeto solum ius bibitur; itaque meo quidem iudicio caffetum et chocolatum non eodem modo computanda sunt.

[2]) Ex. c. loco caffeti, atque adeo saepissime tanquam vehiculum ad parandum chocolatum.

interdicti causa fuerit, sed hodie iam non causa dicitur, quantum reperire potui. Quare quum in rebus, quae ab animali originem ducunt, ex. c. in ovis, multis in regionibus, etiam in Germania, ipsa consuetudo priorem interdicti severitatem mitigaverit, ex causis allatis non intelligo, cur non aeque concedi possit, semel cyathum lactis sumi, quam cyathum ex 45 gramm. chocolati aqua parati. Bulla Clementis XIII. anno 1759 edita, quam citat Scavini l. c. tom. I. pag. 280), vetat vel ipsas potiones lacte mixtas, ideoque ostendit, antea lac absolute prohibitum fuisse. Iamvere nemo hodie in dubitationem vocabit, usum illum communem addendi (modicum) lac ad caffetum et theum etiam tempore ieiunii non esse vetitum.

Obiter hic attingam miram quandam theologorum sententiam. In collatione vespertina 8 unciae panis permittuntur. Porro dicitur: „Licet sumere in coenula panem cum aqua et oleo decoctum . . . . Attamen iuxte S. Lig. non licet sumere octo uncias panis decocti cum aqua, hac praecisa. Ratio est, quia panis per decoctionem et fermentationem cum aqua aliam naturam acquirit, ita ut ex iis quid unum fiat, et evadat una substantia maior. Concedi autem potest, ait S. Liguorius, ut inter ipsam refectionem quis panem aqua aut vino intingat et sic etiam octo uncias panis vino madefacti sumat, quippe nulla hic intervenit fermentatio; et liquor, cum inserviat tantum ad vehiculum, non computatur.“ (Gury l. c. tom. I. pag. 460.) Item Scavini (l. c. tom I. pag. 283) dicit, nimirum 8 uncias panis coquere cum aqua non esse licitum, „nam ita consubstantiatur cum aqua, ut non amplius possit separari: unde esset quid et magis nutriens et excedens quantitatem.“ Panem per decoctionem cum aqua (praetermissa adipe forte adiecta) immutationem chemicam inire, plane non negatur. Haec vero immutatio consideranda est quasi initium digestionis, quia non differt ab ea immutatione, quae initio digestionis efficitur. Inde vero materia alibilis nullo prorsus modo augescit. *Quantitas* quidem huius panis iurulenti maiorem *satietatem* creare potest, quam eadem sicci panis portio, quamvis etiam hoc discrimen non adeo magnum sit. Quodsi adeps non additur, nullum esse discrimen invenio, utrum panis cum aqua

vel etiam cum vino coquatur, an iidem liquores molliendo tantum et madefaciendo pani inter coenam serviant.

In Germania haec quaestio minoris momenti est, quia qualitas ciborum non iam adeo restringitur, quam in priori praecepto ieiunii.[1])

III. DE PRAECEPTO ABSTINENTIAE.

Si praeceptum abstinentiae priorem severitatem retinuisset, i. e. si praeter comestionem carnium etiam vetaret omnia, quae ab animalibus proveniunt, ut sunt lacticinia quae vocantur et ova, plures quoque ab hac lege dispensandi causae necessario admitti deberent, saltem in zonis mediis et frigidioribus. Sed quum praeceptum abstinentiae iam ad solas carnes animalium in terra nascentium et respirantium pertineat, paucas, cur lex non servanda videatur, causas afferri posse existimo.

Praeter pisces „ex aestimatione communi fidelium ac peritorum, et ex consuetudine legitima“ licite comedi possunt: locustae, limacae, testudines, cammari, cancri, ranae, conchae. „Idem dicendum, pergit Scavini (l. c. tom. I. pag. 271), de lutris, castoribus, fibris et aliis, quae piscibus comparantur.“ Ab eo, quod ultimo loco de lutris et fibris additur, equidem dissentio, nam tota horum animalium *„cum piscibus similitudo“* consistit in eo, quod partim ad alimenta capienda in aqua vivunt; sunt autem vere mammalia, quae rubro, *calido* sanguine utunter. Quodsi harum rerum mere externarum ratio habenda esset, consequenter

[1]) Obiicitur, non solam alibilitatem materiae spectari debere. Dicunt, si quantitas relative parva alicuius cibi ad moderandam potionem huic adiiciatur, hunc cibum additum (in sensu praecepti ieiunii) induere naturam potionis, quasi partem potionis fieri. Vicissim potionem, etiam aquam, quum ad moderandum cibum adhibeatur, induere naturam cibi, ipsam quasi cibum fieri. Quae si ita sint, ea quae de lacte (quod sane est cibus, licet speciem potionis habeat), de chocolato atque de pane iurulento disserui, partim immutanda erunt. De industria autem primae editionis verba retinui, quia mihi quidem res nondum satis liquet et haud scio an diligentius studium requirit, quam quod hic institui potest.

ex animalibus, quae supra enumerata sunt, ea etiam a praecepto abstinentiae attingerentur, quae neque vivunt in aquis, neque ipsa alimenta inde quaerunt, ut sunt limaces, conchae et testudines terrestres.[1]) Eodem iure etiam omnes aves aquaticae ad animalia piscibus similia adnumerandae essent earumque esus tempore abstinentiae permittendus. Has autem Scavini (l. c. pag. 272) aperte excludit.

Ad causas dipensandi quod attinet, equidem ex arte medica aliam admittere non possum, nisi hanc:

Si sine carnibus necessarium nutrimentum corpori afferri non potest.

Eae substantiae alibiles, quae in carne praecipue continentur, praeter pisces et reliqua animalia supra enumerata, etiam aliis ciborum generibus compensari possunt. Non dicam de iis alimentis, quae albumina (de quibus maxime hic agitur) tam pauca continent, ut solummodo magna eorum copia carnem supplere possit. Neque illud hoc loco disputabo, quatenus reliquae substantiae albumina compensare possint. Etiam lac, quod fere unicum alendis parvulis mammalibus atque pueris inservit, non adducam hoc loco ut medium compensationis. Contra haec omnia obiici possunt non pauca plus minusve gravia, quae hic refutare longum est et supervacaneum. Unum illud supplementum affero, quod et materia minimum est, et natura sua facillime digeritur, atque maximam albuminis (et adipis) copiam in se continet: *ova*. Ovum gallinaceum mediocre, quod sine tegumina est ponderis circiter 50 gramm., tantum fere continet albuminis (sicci, ut chemici loquuntur, i. e. dempta aqua), quantum 50 grammata bonae carnis bubulae. Duo igitur ova gallinacea fere 100 gramm. bonae et purae carnis bubulae supplere possunt. Huc autem adeps, quae in vitello ovi inest et facilis est ad digerendum, non computatur, quamvis eiusdem vis alendi per se magni aestimanda sit. Inde igitur patet, ova eximie inservire

---

[1]) Testudines etiam terrestres, si scientiam consulis, animalia sunt vere amphibia, sanguinem rubrum et *frigidum* habentia. Locus in quo degunt, terra vel aqua, a doctis pro discrimine non accipitur.

posse ad carnes supplendas; atque hac ex causa eadem priori abstinentiae praecepto vetita fuisse videntur.

Porro constat, etiam eos, pui pisces at similes cibos graviter ferunt ac digerunt, plerumque ova vel cibos ex ovis confectos bene ac facile digerere, nisi forte modus ipse parandi prohibeat, quominus ova facile digerantur.

Hinc patet, praetermissis iis qui vere aegrotant vel ex gravi morbo convalescunt, raro accidere, ut abstinentia a carnibus cum damno observari possit, atque mihi certe, quum in ieiunio paulo mitius, tum hac in re paulo severius, agendum esse videtur. Etiam Gury (l. c. tom. I. pag. 452) Liguorium secutus monet, in iis qui dicant, se cibos licitos digerere non posse, ideoque dispensationem ab abstinentia petant, cavendum esse ab hallucinatione. Scavini autem, ubi dicit, consuetudinem permittere etiam tempore abstinentiae usum carnium mulieribus foetum in utero gerentibus vel prolem lactantibus, optimo iure addit: „si proles aegrotet aut mater sit valde debilis.“

Quamvis facillime mulieri in periodo generatoria omnes exceptiones concedam, quae a ratione postulantur, qua in re nulla ex parte serio contradici mihi persuasum est, tamen non minus id reiicio, graviditatis vel lactationis periodum, si tamen omnia legitime procedant, per se posse ab abstinentiae lege liberare. Si conditiones non adsunt, quas requirit Scavini, sine ullo tum matris tum infantis periculo abstinentia servari potest. Praegnantium „appetitus“ qui dicuntur hic non computandi sunt. Carnium appetitu alii quoque homines tempore abstinentiae afficiuntur, etiam ii interdum, qui extra tempus abstinentiae pisces pro oblectamentis habent. Nitimur in vetitum. Aliter se res haberet, si praegnantes taedio et invincibili quadam nausea eorem ciborum afficerentur, qui carnes compensant. Quod si accidit, medicus consulendus est. Si quis autem existimet, praegnationem et lactationem debere inter causas recenseri, quae aperte per se et communiter dispensationem validam a lege abstinentiae secum ferant pro feminis ceterum sanis, huic ego quam fortissime contradicere debeo.

Praeter ieiunium et abstinentiam sunt etiam corporis castigationes, quae nemini praescribuntur, a nonnullis autem sponte exercentur. Ordinaria corporis castigandi media sunt *cilicia, flagellationes, vigiliae.*

Cilicia ex pilis equinis, ex aspera et setosa lana, ex tenuibus filis ferreis plectuntur. Horum acumina, quae ubique eminent, cutem radunt et irritant. Praeterea in cingulis ita confectis nodi nectuntur. Alia cilicia magis catenis similia sunt, quae ex crassiori filo orichalceo vel ferreo conficiuntur. Liguori in libro, cui titulus „Vera sposa di Gesù Cristo", hoc ultimum ciliciorum genus minus noxium esse censet, quam cetera. Cilicia plerumque corpori circumdantur, interdum etiam brachiis, cruribus, humeris (Lig. l. c.). Gestatio ciliciorum eam ob causam ad has dissertationes pertinet, quod certissime, si sine prudentia adhibeantur, interdum valetudini graviter nocere potest. Idque dupliciter accidit. Aut totum membrum cilicio inclusum compressione male afficitur, si cilicium assidue arctius adstringitur. Ita corporis cilicia adducere possunt varias stagnationes in ventre (haud secus atque arctissimi illi thoraces lintei, qui prioribus huius saeculi decenniis gestabantur); ita membrorum cilicia membris tumorem et debilitatem afferre possunt. Aut cilicia inde nocent, quod eorum frictio et pressio localis in cute inflammationes atque ipsa ulcera profunda excitat. Eiusmodi inflammationes chronicae fieri atque gravem periculosamque naturam inducere (cancerare) possunt. Quare cilicia concedenda esse puto ea solum conditione, ut non semper sed ad tempus gestentur. paucas dico diei horas vel unum alterumve diem hebdomadae; dein ne nimis acerbis et acutis acuminibus aculeisque plena sint, quamvis aspera esse debeant; hinc v. g. funiculi, qui ex filo ferreo tenui cum acutis aculeis confecti sunt, reiiciantur; denique ne arctius adstringantur.

Flagellatio. Haec inde nocere potest, quod vulnera efficit, quae, quum flagellatio saepius repetitur, antequam penitus sanentur, in ulcera chronica transire possunt. Vehemens percussio flagello graviori inflicta in mollioribus partibus facile etiam organa interiora violare potest. Hinc flagellum acutiores partes ne habeat solumque tergum (exceptis mollioribus lumborum

partibus) et fortasse humeri brachiaque flagellis feriantur. Praecipue vero inter flagellandum vitanda sunt regio genitalium, totus venter, in mulieribus etiam pectora.

Vigiliae communiter quidem iam non poenitentiae causa adhibentur, quum haec nostra aetas diem magis magisque produxerit et ex penuria temporis laboribus destinati minuere studeat tempus quietis. Sed et vigiliae si nimiae sunt, quam maxime detrimento esse possunt. Somnus enim tempus est quietis corpori necessariae. Actio et corporis et animi consumit substantias, quae inter actionem non interruptam nullo modo compensari possunt. In somno omnis animi actio et musculorum voluntati parentium commotio intermittitur, et permanente actione corporis vegetativa eae materiae compensantur, quae ad novos impulsus excitandos et ad novam actionem sustentandam requiruntur. Subtracto igitur somno totum corpus patitur; universalis debilitas, macies, febris hectica sequuntur. Plerumque nervi pro somno subtracto puniuntur. Capitis dolor vel pressio, hebetudo sensuum, taedium laboris praesertim illius, qui ab animo perficitur, primum hinc nascuntur. Quodsi nimiae vigiliae diutius producuntur, omnes nervi communiter irritantur; illusiones et hallucinationes, imo amentia completa facile ulciscuntur hoc inversi rerum ordinis scelus. Hinc sequitur, ut nimias vigilas communiter concedendas non esse sentiam. Fere 7 horis somni homo indiget, ne corpus nimiam iacturam faciat. Si quis poenitentiae causa *hinc inde* aliquid ex his 7 horis detrahere velit, non adeo periculosum id dixerim; ex consuetudine autem id minime fieri licet. Cur denique S. Alphonsus (l. c.) opinetur, mulieres non tanto somno indigere quanto viros, illisque „5 ad summum 6 horas satis“ esse putet, equidem ignoro. Contra tanto eas somno indigere censeo, quanto etiam viros. Utrum continuae sint istae horae somno destinatae, nec ne, non adeo multum refert. Id unum addam, minori cum damno tempore matutino quieti necessariae aliquid detrahi posse, quum vigiliae in noctem productae multo citius detrimenta afferant.

D. DE SACRAMENTIS.

I. DE BAPTISMO.

Non raro medicus in occasionem baptismi administrandi venit propter mortis periculum, quod infanti modo nato vel foetui abortivo imminet; atque in quibusdam adiunctis obligatus est, licet ex sola caritate. Quare hoc loco componam, quaecunque in eiusmodi necessitatibus scitu necessaria sunt; simulque de iis rebus disseram, quae theologis suapte natura dubiae ex physiologia et pathologia explicandae sunt.

Ad validitatem baptismi requiritur legitima materia (remota atque proxima), iusta forma, recta intentio, idoneum subiectum.

Materia remota unice legitima est aqua naturalis seu elementaris, apta ad abluendum. Si fieri potest, adhibenda est aqua consecrata seu benedicta. Iuxta theologos pro materia *valida* habenda est:[1]) aqua fontium, fluminis, maris, stagnorum, paludum, lacuum, cisternarum; aqua resoluta ex glacie, nive vel grandine; aqua sulphurea vel mineralis, aqua collecta ex vapore, rore, vel effluens tempore nimboso ex pariete, foliis etc.; aqua turbida, mixta cum alia substantia, modo aqua sit materia vere et certe praedominans, ita ut iuxta usum aut aestimationem hominum adhuc aqua dici possit.

Dubia materia est: iusculum valde tenue, lixivium, cervisia *tenuis* (etiam theum et caffetum?), aqua ex sale soluto (?); humor fluens e vite aliisque plantis.

---

[1]) Gury tom. II. pag. 155.

Invalida materia est: lac, sanguis, lacrymae, sudor, saliva, sputum, urina (etiam ut videtur liquor amnii);[1]) vinum, oleum, cerevisia, ius densum ex adipe etc.; lutum, atramentum; nix, glacies, pruina et alia nondum soluta.

Certo autem peccat graviter peccato sacrilegii, qui absque gravi necessitate utitur aqua impura, turbida aut faeculenta, licet haec materia sit valida.

Quodsi igitur ipse medicus aut obstetrix baptizare debet, sub gravi tenentur, *aut* manus suas, quantum fieri potest, antea purgare a sanguine, pituita, faecibus, quia secus facile aqua redderetur impura, *aut* aquam puram mediante vasculo infundere.

In periculo mortis, si non possit haberi materia valida, adhibenda est materia dubia sub hac conditione: Si haec materia sit sufficiens.

Materia proxima baptismi est ablutio, quae tribus modis fieri potest, scilicet *immersione, aspersione* et *infusione*. Unica ablutio sufficit, plerumque tamen fit trina, ut in solemni baptismo praescribitur. Si tempus permittit, etiam laicus in necessitate praescriptam et solitam formam trinae ablutionis servet atque quantum fieri potest, infusionem et ablutionem faciat per modum crucis. Hoc reverentia tantae actioni debita postulat. Porro quamquam ad abluendum sufficit aspersio, nihilominus tamen praesertim laicis commendare velim, quotiescunque tempus et adiuncta permittant, ita semper infundere aquam, ut haec vere diffluat. Praeterea ablutio debet, si fieri potest, attingere caput et quidem locum non capillatum. Capillus quidem in infantibus modo natis densus non est, sed aliquoties impedire posset, quominus aqua baptismalis ipsam cutem vere tangeret. Quare bene consultum esse videtur, ut baptismus conferatur in fronte, aut ut aqua dum infunditur, simul manu sive infundente sive altera in capite perfricetur. Quodsi neque caput attingi, neque baptismus ob instans periculum mortis differri potest, baptismus licite confertur in alia parte, in pectore, scapulis, brachio, pede. Attamen quum baptismus ita collatus non sit certo validus, postea sub conditione

[1]) Liquor amnii est ille liquor, cui foetus velamento inclusus innatat.

repetendus est. Quare si infans post partum perfectum satis vegetus est, ut in ecclesiam deportari possit, parochus baptismum sub conditione conferet; sin autem proximum mortis periculum etiam tum immineret, statim infans denuo baptizandus esset sub conditione, adhibita hac formula: si non es baptizatus, ego etc.

Potestne infans in utero valide baptizari, quoties certo aut probabilissime constat, illum ante partum moriturum esse? „Affirmandum *probabilius*“ censet Gury (tom. I. pag. 155), „si puer in utero attingatur aqua aliquo mediante instrumento; quia cum infans existat iam homo viator, valide potest baptizari. Nec obstat, quod puer adhuc involutus sit in secundina, quia haec censetur veluti pars infantis. Sub conditione tamen baptizandus est, quia non constat certo, utrum baptismus hac ratione collatus sit validus.“

Sententiam eorum, qui existimant, infantem etiam involutum in secundina seu velamento valide, licet tantum probabilius valide baptizari posse, equidem ex iis, quae scientia physiologiae nos docet, reiicere debeo. Velamentum enim illud, si totum atque integrum spectatur, nullo modo est pars infantis. Constat velamentum usque ad partum ex tribus membranis, quae clare inter se discerni, sed et separari possunt. Duae interiores membranae, amnion et chorion, eatenus partes corporis infantis dici possint, quatenus ex ipso ovo nascantur. Externa autem membrana, quae decidua vocatur, ex membrana pituitaria uteri proficiscitur ideoque certe ad matrem pertinet neque ulla ratione pars infantis haberi potest.

Atque generatim semper fieri poterit, ut quamprimum aliqua pars infantis attingi possit, in ea ablutio per aspersionem ad effectum perducatur. Nam mediante siphone vel per minimum foramen, quod artificiose perforatis velamentis aperitur, aqua in partem infantis certo infundi potest. Tum vero consulendum, ut altera manu siphonem dirigentes inquiramus et sine ulla dubitatione cognoscamus, aquam baptismalem partem infantis vere attingere. Obiiciet forte quispiam, imminente abortu vel partu praematuro os uteri posse tam angustum esse, ut neque manu neque digito quidem siphonem dirigere possimus. Respondeo, in

tali casu fere nunquam aliquam adesse rationem, quae de vita infantis nos certiores reddat. In periodo tam praematura, qua ne digitus quidem cum siphone intromitti per os uteri posset, vix unquam quaestio movebitur de subiti baptismi necessitate. Praeterea haec praematura secundinae destructio, et quae inde sequitur liquoris effusio praematura, fieri non potest, quin ipsi partui magnum impedimentum afferat, infanti periculum augeat, matrem in summum forte discrimen adducat. Haec propterea affero, quia Gury (tom. II. pag. 156) dicit: „Recentius autem medicorum peritia aliam methodum invexit, qua certius puer nondum in lucem editus baptizari potest. Inventum nimirum est instrumentum, quo secundina discinditur; et sic aqua, alio instrumento adhibito, ad ipsum foetus corpus immediate tangendum pervenire potest.“ Huius loci sententia videtur ad casus supradictos pertinere, in quibus aliquis baptismum conferre vellet, quamvis et secundina intacta maneret et os uteri angustius esset; quae res accidere posset imminente abortu vel partu praematuro. Ex rationibus allatis id ne fiat instanter praemoneo. Ante quintum praegnationis mensem completum rarissime certo scire possumus, utrum foetus vivat nec ne. Si immineret abortus *ante* hoc tempus, equidem omni conatu siphone baptizandi abstinerem. Tum solum eam rationem, quam Gury affert, inirem, quum mihi certo persuasum esset, et foetum vivere *et* vitam eiusdem minui, idque facerem, quamvis praeviderem, praematura liquoris effusione ipsi partui aliquod impedimentum allatum iri. Damnum inde matri timendum et accelerata infantis mors non computanda sunt ad huius aeternam salutem necessario procurandam. Eiusmodi baptismus semper quidem dubius manet, eo magis quod, nisi sipho in partem infantis dirigatur, fere nulla spes certa adest, fore ut aqua baptismalis infantis partem efficaciter attingat.

Si non adest sipho, in casu necessitatis sufficit, digito aqua baptismali madefacto partem infantis abluere. „Dicunt autem communiter, materiam tunc esse certam, si baptizans motu digiti madefacti partem corporis ablueret.“ (Gury tom. II. pag. 157.) Sed in eiusmodi necessitates rarissime incurremus. Hoc fieri solum potest, quando partes genitales adeo angustae sunt, ut

praemissa infantis pars in pelvim parvam intrare non possit et quando praevidetur, prolem non posse vivam in lucem edi. Etiam tum, quum funiculus umbilicalis prolapsus reponi non potest et pulsatio funiculi semper debilior fit ac proinde celerior mors infantis timenda est, etiam tum pars infantis praemissa adeo semper ab exitu distat, ut solum digitis vel siphone attingi queat. Baptismum in funiculo collatum hisce in adiunctis ego et illicitum et invalidum esse duco, quam funiculus iste solum *quasi*-pars infantis sit et alia pars semper attingi possit.

Plerumque de baptismo subito conferendo tum quaestio erit, quum una vel plures partes infantis magis praemittuntur et facilius attingi possunt e. c. si partes minores prolabuntur, vel si partus retardatur, postquam proles in pedes versa est.

Omnis baptismus proli in utero collatus postea sub conditione debet repeti, quia probabilius tantum validus est. Idem dicendum, si forte baptismus collatus esset in aliqua infantis parte iam nata, reliquo corpore nondum nato. Unus excipitur casus, nimirum si reliquo corpore nondum nato caput iam plene editum baptizatum est. „Nam ut habet Rituale, si infans caput emiserit, et periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea, si vivus evaserit, iterum est baptizandus.“ (Scavini l. c. tom. III. pag. 477.)

Forma Baptismi est: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. [1])

Hic animadvertendum est, *nihil* esse in his verbis omittendum, *nihil* immutandum.

Praeterea *eadem* persona *eodem* tempore simul et verba formae pronunciet et ablutionem faciat necesse est. Baptismus in quo conferendo alter ablueret, alter formam pronuntiaret, aut non eodem tempore utrumque fieret, invalidus esset.

Minister Baptismi esse potest quilibet homo ratione utens, etiam haereticus et infidelis. Si urgeat necessitas baptizandi, id observandum est nobis, virum praeferendum esse feminae, hoc est, virum si adsit et baptizare sciat, etiam baptizare debere.

---

[1]) Vox „Amen“ omittenda est. S. C. R. 9. Junii 1853.

Excipiunt, si pudoris gratia deceat feminam, potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, *vel* si melius femina sciret formam et modum baptizandi. (Gury tom. II. pag. 159.) Si medicus et obstetrix adsunt, ceteris paribus medicus, dein obstetrix absente medico baptismum conferet. Quodsi medicus ipse est simul pater infantis, baptismum per obstetricem conferendum curabit. Rituale Romanum dicit: „Pater aut mater propriam prolem baptizare non debent, praeterquam in mortis articulo, quando alius non reperitur, qui baptizet.“ [1])

Necessaria est ad validitatem Baptismi *intentio* baptizantis faciendi id, *quod ecclesia facit in collatione Baptismi.*

In Baptismo conditionate conferendo ipsa conditio pronuntianda est. „Apponi tamen ore debet, ubi hoc praescribit Rubrica, ut in Baptismo conditionato, praesertim si publice conferatur, ne scilicet adstantes credant Baptismum absolute iterari.“ (Gury tom. II. pag. 135.) Dicendum igitur: Si non es baptizatus, si etiam vivis, ego etc.

Infantem in periculo mortis positum statim baptizandi unusquisque ius et obligationem habet et quidem *contra* voluntatem

---

[1]) Dolendum sane, quod in ipsis conditionibus difficillimis saepissime nemo adest rerum peritus. Ova abortiva v. g. quam plurima aut nullo modo aut sero in manus hominis periti incidunt. Optandum certe est, ut omnes novi mariti hac in re sufficienter erudiri possint; at quis eos haec docebit? Instructio sponsorum a parochis habenda raro admodum haec proponere possit. Medicus et obstetrix plerumque novorum conjugum consuetudine non tam mature utuntur, ut cum fructu, quae necessaria sunt, eos docere possint. Id autem dico optandum esse, ut tum parochi, tum medici et obstetrices aptis utantur occasionibus, quibus coniuges, quod fieri possit, hac de re instituant. Neque id celandum est, me reperisse obstetrices, quae vel ipsae harum rerum obscuram et mancam scientiam habebant, quibusque instructio necessaria deerat. Sunt quidem parochi obligati, ut obstetrices etiam hac de re doceant. Sed quoniam obstetrices se peritas esse iudicant, quae etiam plus minus peritae sunt, meo quidem iudicio illa instructio parocho habenda fortasse non semper necessaria auctoritate fruetur. Quare velim medicos pios id sibi proponere, ut data occasione cum obstetricibus suae regionis de rebus huc pertinentibus colloquantur, easque si necesse sit, accurate ac diligenter doceant.

parentum,[1]) quorum consensus ab ecclesia in ceteris infantibus ante usum rationis postulatur.

Id vero, utrum laicus graviter peccet, si in statu peccati (h. e. mortalis) necessarium baptismum conferat, a nonnullis theologis negatur, ab aliis affirmatur. Liguori utramque sententiam probabilem esse dicit, quamvis ipse in posteriorem inclinet (cf. Gury tom. II. pag. 136). Hinc laicus non est *obligatus,* ut antequam Baptismum conferat, contritionem eliciat. Baptismus certissime validus est.

Subiectum Baptismi est omnis et solus homo vivus nondum baptizatus. Itaque ad causam nostram pertinet, de partu, quem mulier edidit, quaerere:

1. Utrum id, quod ante nos videamus, homo sit?

2. Utrum hic homo vivat?

ad 1. Dubitationem hanc, utrum id quod natum est, homo sit, prioribus temporibus movere potuerunt ova abortiva, nunc etiam monstra possunt. Utrum ova abortiva pro hominibus habenda sint, ex eo diiudicandum est, si forte in iis foetus reperiatur. Si adest foetus, vere homo iudicandus est, quum hodie pro certo habeamus, ovum in ipsa gravidatione statim animari. Si in ovo emisso non invenitur foetus, id quod non raro accidit, tum aut in sanguine etc. est deperditus, aut demortuus atque in materia ovi resolutus, id quod in primis graviditatis hebdomadis fieri potest. Ipse foetus iam in tertia graviditatis hebdomada discerni potest, post primum mensem potest facillime. Hoc tempore embryo fere longitudinem habet unius centimetri (h. e. si extensum eum consideramus, quum semper inflexus inveniatur) et facile dignoscitur.

De monstris sine ulla dubitatione recte sentiunt theologi, qui dicunt, quidquid habeat formam humani capitis et pectoris humani, hominem esse ideoque baptizandum. Nam foetus, qui et caput et pectus habet, propriam habet vitam, individuum est. Ita tamen sententia illa emendanda est, ut dicatur: quidquid non

---

[1]) Confer Benger, M., Pastoraltheologie. Regensburg bei C. J. Manz 1862; tom. II. pag. 473.

tantum *humani,* sed *omnino capitis* et pectoris speciem habet, vere homo est. Caput, si adest, semper humanum est, quamvis per mancam evolutionem deformatum sit. Nam generatio inter hominem et brutum, quam Liguori incredibilem quidem esse putat, de cuius tamen fructibus ratione Baptismi conferendi loquitur, certissime non invenitur. Sunt deformitates capitis, quae eius speciem humanam quam maxime depravent; huc pertinent *hemicephali* vel *anencephali,* in quibus facies magis evoluta et cranium cum cerebro plus minusve deminutum est. Qui partus, quamquam vitam degere extra uterum non possunt, tamen certissime homines sunt, quum aliud quid sine ulla dubitatione esse nequeant. Etiam profundissimae fissurae (labium leporinum, fauces lupinae) efficere quidem possunt, ut hominibus plane dissimiles sint, sed tamen nullam humanae naturae dubitationem movere possunt. Ergo quidquid et caput et pectus habet, vere homo est. Caput sine pectore aut pectus sine capite non inveniuntur,[1]) inveniuntur autem caput cum pectore (et ventre) sine membris extremis. Praeterea foetus monstrosus invenitur, cui vitam propriam inesse iure negare possumus, quamvis partim formam humanam habeat: *acardiacus* appellatur.

Hoc monstrum infrequens constat solum ex ventre et pedibus. „Quod ita nascitur,[2]) si geminorum in eodem velamento involutorum venae ita cohaerent et impetus sanguinis alterius foetus ita praeponderat, ut circulatio sanguinis in altero foetu invertatur ideoque et cor et pulmones cum maiori minorive trunci parte degenerent atque foetus monstrosus ab altero bene evoluto alatur.“ Talis igitur foetus non suis organis e matre nutritur, sed venae foetus normalis in illum quasi continuantur eumque velut appendicem nutriunt. Videmus igitur hic nullam iam propriam vitam, non individuum, non hominem.

---

[1]) Inveniuntur massae carneae cum ossibus nonnullis, quae pro truncis vel capitibus penitus degeneratis habendae sunt; sed tales omnimodae deformitates et degenerationes ad baptismum nihil pertinent.

[2]) Schroeder, C., Lehrbuch der Geburtshilfe. Bonn, bei Cohen & Sohn, VI. Auflage 1874. pag. 594.

Praeter monstra illa est etiam magnus numerus *duplicitatum*, in quibus dubium oriri potest, utrum unicum an duo individua adsint. Multiplicatio ipsa membrorum, ut per se patet, illam dubitationem non movet. Neque magis movent dubitationem duo corpora plane exculta, quae aliquo modo inter se concreta sint; sunt enim duo individua casu iuncta, sed unumquodque vitam habet suam. Quid vero, si unum caput adsit et duplex truncus? Quod si haec duplicitas ad solam inferiorem trunci partem restringatur, ita ut unum solummodo cor unique pulmones adsint, ego semper monstrum pro *unico* individuo haberi velim. Quodsi duo corda binique pulmones adsint (vel saltem duo corda, quoniam binos adesse pulmones aliquando difficillime, imo nullo modo, dum foetus vivat, demonstari potest), equidem crediderim duo esse individua, quum corpus utrumque, quamvis uno communi nervorum systemate centrali utatur, tamen proprium systema vegetativum, ideoque quodammodo vitam ab altera vita separatam habeat, saltem separatim nutriatur.

Praeterea inveniuntur duo capita cum uno trunco. Quodsi truncus collotenus simplex sit, adeoque etiam cor et pulmones, tamen mallem dicere duo individua adesse. Fortasse mihi videor contradicere, quippe quum antea propriae vitae *vegetativae* plurimum tribuerim. Id scilicet factum est, quum *uni* capiti opponerem. Hic autem duplex habemus systema centrale nervorum, illud nimirum systema, quod quamvis forte non ipsam animae sedem, tamen praecipuum functionum animae organum iudicemus oportet. Haud facile persuadere nobis possumus, unam tantum in corpore inesse animam, quum duo adsint organa functionum animae. Etiam id usu observatum est, ex his duobus capitibus alterum posse dormire, simul alterum vigilare, illam faciem hilaritatem, hanc eodem tempore languorem molestiamque prae se ferre. Quae res, quamvis per se nihil probent, nisi vitam sensitivam esse separatam, tamen iuvant et confirmant eam sententiam, qua censetur, duas animas admittendas esse, ubi duo sint capita.

Quodsi duplicitas ad solum caput non restringeretur, sed etiam ad partem trunci pertineret, eadem tamdiu res esset,

quamdiu cor cum pulmonibus, vel saltem cor non duplicaretur. Duplicatis autem ipsis organis in cavo pectoris, cum ratione non iam dubitare possumus, duos adesse homines. Caput, cor, pulmones gravissima sunt organa centralia vitae, et quidem vitae propriae; et quamvis utrumque corpus sive intra uterum sive extra uterum per unum organum (per *unam* placentam, et *unum* stomachum) nutriatur, id fere aliud non est, quam epulum *comedere* ex eadem olla. *Usus* ciborum ad corporis vitam in unoquoque corpore separatus est.

Denique ex utero mulieris res prodeunt, quae nec foetum continent neque ullo modo pro foetu habendae sunt: quas *molas* vocant. Sunt quidem molae fructus foecundi coitus; sunt ova foecundata, in quibus tamen foetus plerumque praemature mortuus et absorptus aut resolutus est, quorum membranae postea in varias molarum formas degenerabant. Molae autem partim magnae partim exiguae inveniuntur, modo crassum modo tenue habent tegumentum, nunc solidiores sunt et massae carneae similes, nunc ex multis vesiculis liquore impletis constant. Has molas vesiculares si exceperis, in quarum ingenti magnitudine cetera vix apparent, fera semper cavum invenies plerumque exiguum et liquore impletum, sed *foetus ne vestigium quidem.*

ad 2. Vivitne homo? — Quamdiu foetus in utero includitur, eum vivere probabile est, nisi certa mortis signa adsint. In primis mensibus graviditatis aliud mortui foetus signum non habemus praeter corruptam ac putridam profluviem. Haec corruptio liquorum, sc. liquoris amnii, sanguinis, qui imminente fere abortu ex utero profluunt, certo probat foetum iam esse mortuum. Idem dicendum est de tempore praegnationis post quintum mensem. Hic tamen alia praeterea sunt signa mortis, quae solus medicus distinguere potest.[1])

Foetus editus utrum vivat annon, multo facilius dignoscitur, saltem plerumque. Hic tria tempora distinguenda sunt. Primum pertinet ad finem tertii mensis, nam eo usque ovum plerumque inviolatum prodit et ad foetum recognoscendum caute

[1]) Cf. dissertationem meam de occisione foetus pag. 69.

incidendum est. Ibi plerumque difficillimum est, aliquod vitae signum animadvertere, quum musculi nondum ita exculti sint, ut facile moveantur. Pulsatio cordis tantummodo et quidem, si res bene habet, satis mature cognosci potest. Id tamen hic observandum, cor primum prope caput positum esse ac paulatim demum descendere. Pulsatio vel motus huic similis, si observatus sit in embryonibus forte 5—6 hebdomadarum tantum, certum signum vitae est. Post finitum tertium mensem (h. e. mensem lunarem) musculi paulatim magis excoluntur, quamquam etiam tum rarissime motus aliquis in trunco et partibus extremis observabitur ante completum mensem quintum, quo tempore musculi perfecte, quantum pro conditione licet, exculti sunt. Inde vero motus membrorum, thoracis, regionis epigastricae, oris facilius observari poterunt. Etiam ictus cordis tum saepe, omni alio vitae signo deficiente, digito tentari potest.

Pulsatio funiculi umbilicalis tactu perceptibilis semper est signum vitae in foetu.

Excepto igitur acardiaco quilibet embryo vel foetus pro homine habendus atque si vivit, baptizandus est. Quodsi vita incerta sit, conditionate baptizandus erit: Si vivis etc.

De embryonibus in primis mensibus ut patet id observandum, eos esse baptizandos, dummodo aliquod vitae signum adsit.[1]) Praeterea conditionate baptizandi sunt, si ovum satis cito extrusum adhuc recens fuerit, nam in hoc casu iure etiam de vita dubitare licet. Hic iam quaeritur, utrum foetus, qui ovo inclusus editur, baptizari non debeat, antequam ovum aperiatur, an liceat vel oporteat, primum in membranis ovi clausi sub conditione baptismum conferre et dein aperto ovo ipsum foetum iterum conditionate baptizare? Ex ratione supra allata, quod nimirum exterior velamentorum membrana non oritur ex ovo ideoque minime ad foetum pertinet, id approbare non possum,

[1]) Saepissime ova abortiva efficiunt massam carneam, quam vocant. Hoc si factum est, ovum per sanguinis effluvia etc. degenerabat, foetus certissime mortuus saepe iam absorptus est. Tum vero ne sub conditione quidem baptizare licet. Etiam in ovo, quod iam discissum nascitur, primis mensibus semper foetus erit mortuus.

ut in ovo clauso baptismus conferatur. Quodsi Debreyne (l. c. pag. 209) contrariam sententiam tenet „dans la crainte, que l'impression de l'air ne fasse mourir le foetus avant d'avoir reçu le baptême", equidem ex una parte credo, eum rationem a me allatam aut ignorasse aut neglexisse, et ex altera parte rationi ab illo allatae tantum tribuere non possum, quantum ipse tribuit.[1]) Si caute ovum aperitur atque si liquor amnii lente, hoc est nisi ex negligentia subito profluat, aër accedens foetum quamvis exiguum non illico occidet. Tum tempus nimium inquirendis vitae signis ne perdatur, sed si ovum recens (non decoloratum vel putridum) et foetus albus (non gilvus vel subfuscus) est, aperto ovo e vestigio baptismus sub conditione vitae conferatur.

Debreyne vult hos parvos embryones baptizari per immersionem totius ovi iam aperti. In fructibus minimis hoc bene consultum fuerit, quia ita facile in liquore amnii natant, ut incertum sit, utrum aqua baptismali attingantur. Verum post sextam hebdomadam cur id necesse sit, iam non video. Tum enim foetus ita magnus est, 17—25 millim., ut satis facile per infusionem baptizari possit.[2])

Neque vero in embryonibus paulo grandioribus usque ad finem mensis sexti inclusive nimium tempus adhibendum est inquirendis vitae signis. Si ipse partus satis celeriter successit, si foetus recens et neque tota cutis neque partim decolorata, denique si inviolatus est, ei sub conditione baptismus conferendus est. In his adiunctis quum difficile sit signa vitae invenire,

---

[1]) Videtur Debreyne sententiam suam petiisse ex embryologia sacra Cangliamilae. Cf. Embryologia sacra lib. II. cap. VI. § 4. VI.

[2]) Iis, qui minime vel non satis harum rerum periti sunt, utillissimum ac certissimum consilium erit, ut baptismum per immersionem conferant, et ita quidem, ut in vel sub aqua velamenta disrumpant hisque disruptis statim formam baptismi pronuntient: Si vivis, ego etc. Apprehende igitur utriusque manus pollice et indice aliquam velamenti plicaturam atque ita disrumpe, ut materia ovi effluat, hoc est, ut aqua baptismalis integram ovi materiam bene alluat. Quod si ita fit, etiam vitabitur accedentis aëris appulsus in embryonem, quem nonnulli adeo timent.

iure merito, nisi certa appareant signa mortis, de vita foetus dubitatio movetur.

Quamquam similiter iudicandum est de foetu in speciem mortuo posterioribus mensibus, tamen hic iam magis liceret, parumper signa vitae quaerere. Quodsi nulla adsint certa mortis signa, neque aliae rationes suadeant, mortem iam evenisse (ex. c. effusio liquoris amnii pluribus diebus ante partum, maxima sanguinis profluvia multis horis ante partum, ut in placenta praevia), foetus etiam quamprimum sub conditione baptizetur.

Qua ratione monstra et duplicitates baptizari debeant, ex iis, quae supra dixi, iam satis patet. Hemicephali cum capite quamvis deformato certissime sunt homines, ideoque si vivunt, *absolute* baptizandi. Si *unum* caput et *unum* pectus (cor) invenitur, homo unus tantum adest ac proin semel baptismus *absolute* conferendus erit. — Caput *unum* cum *duplici* pectore praesumuntur esse homines duo distincti, quare absolute caput baptizetur, dein *unumquodque* pectus sub conditione: Si non es baptizatus. Necessarium est baptizare *unumquodque* pectus, quoniam in hoc dubio discerni non potest, utrum pectus cum capite iam baptizatum sit. — Si caput et pectus duplicantur, etsi truncus simplex est, *unumquodque* caput absolute baptizari debet. — Si *solummodo* caput duplex est, totus autem truncus simul cum pectore (corde) simplex, *probabiliter* tantum dici potest, duos distinctos homines adesse; unum igitur caput *absolute* baptizetur, deinde alterum sub conditione. — „Si vero periculum mortis immineat, tempusque non suppetat, ut singuli separatim baptizentur, poterit minister, singulorum capitibus (aut pectoribus, si unum caput et corda sint duo) aquam infundens, omnes simul baptizare dicendo: Ego vos baptizo etc. (Gury l. c. tom. II. pag. 162. in nota. Iuxta Rituale Romanum.)[1])

[1]) In enumerandis deformitatibus et duplicitatibus eas tantum commemoravi, quae frequentiores magisque singulares sunt atque eas, de quibus maxime in baptismo conferendo disceptatur. In capite tum cranium tum facies deesse potest, imo sola capitis rudimenta sine trunco inveniri possunt, qui Acormus appellatur. Fieri potest, ut unus solum oculus adsit (Cyclopia), ut inferiores partes extremae penitus coalescant (Monopodia) etc.

Existimabit forte quispiam, me de baptismo copiosius et multa parum necessaria dixisse. Sed iusta mihi excusatio sit infinitum illud momentum, quod baptismo tribuendum est et grave illud periculum ne, quum qui adstant, rerum huc pertinentium parum periti sint, nonnullus foetus humanus baptismo carcat, „cuius anima, si baptismate non fraudaretur, Deum in aeternum videret.“ (Roncaglia iuxta Debreyne l. c. pag. 210.)

Iamvero res una de baptismo disputanda superest, de qua complures auctores, qui medicinam pastoralem scripserunt (Macher, Schreger, Bluff, alii, etiam optimus ille Vering), in haud exiguam indignationem utpote medici inciderunt et cum animo non parum affectato in ordinationem ecclesiasticam invecti sunt. Illa est ordinatio ecclesiastica, quae declarat, baptismum in ecclesia [1]) conferri debere atque graviter peccare illum, qui contra hanc ordinationem agat sine necessitate. Estne domi, an in ecclesia baptismus conferendus? Per se manifestum est, infantes ad speciem mortuos vel quorum mors mox futura rationabiliter timetur, ex necessitate statim vel saltem mature in ipsa domo baptizari posse, ne periculum subeant sine baptismo moriendi. Hoc loco adnotat Scavini (l. c. tom. III. pag. 485. Not. 5.): „Haec autem sunt huiusce periculi signa praecipua: 1. Si puer oriatur sine vagitu et lacrymis; 2. si modice

---

Minoris ordinis duplicitates sunt: duae facies in eodem capite, duo crania in uno capite et facie una etc. Praeterea hoc loco commemorandus est foetus in foetu sive Epignathus, qui foetus imperfectus venis suis in aliqua parte foetus perfecti (plerumque in palato) insidet etc. (Cf. Dr. Heinrich von Fabrice, Die Lehre von der Kindesabtreibung und vom Kindesmord. Erlangen 1868). Quae ratio baptizandi servanda sit, quum eiusmodi deformitates inveniantur, ex analogia eorum, quae exposui, intelligitur.

Quodsi dixi, duplicitates ut homines duos distinctos computandos esse, potest obiici, eos fortasse non ut *duos foetus concretos* esse considerandos, sed fieri posse, ut sint fructus ex *germinis unius fissione* plus minusve perfecta producti. Physiologia nobis rem non explicat. Quare mihi quidem videtur id tenendum esse, quod ipsi observamus, in dubio autem ita secundum rationes probabiles agendum, ut caveamus, ne quis homo sine baptismo moriatur.

[1]) Sed ne in sacristia quidem, nisi adsit rationabilis causa, qua approbata magistratus ecclesiasticus hoc permittat.

respiret; 3. si appareat lividus praesertim in facie aut capite; si nascatur post multum laboris obstetricis; 5. si enascatur ante septimum mensem; 6. si cranium habeat valde molle, aut suturas nimis apertas aut alias partes disiunctas.“ Scavini certissime ultimo loco omnes deformitates in organis ad vitam necessariis significare voluit, quum omnes huius generis deformitates verum praematurae mortis timorem afferant. Quare illud „sine necessitate“ nihil aliud significat, quam ut infans in ecclesiam deferatur, nisi rationabiliter timendum sit, ne ex hoc aditu ecclesiae grave periculum infanti adducatur. Etiam quilibet morbus acutus rationabilis esset causa, cur domi infans baptizaretur, nisi forte mox convaliturus praevideretur.

Iuxta Scavini (l. c. pag. 484) plures synodi praecipiunt, ut baptismus non protrahatur ultra triduum sine peculiari licentia ordinarii. Dilationem autem, inquit, communius et probabilius dicunt non esse graviter culpabilem, nisi 10 vel 11 dies excedat. In eligenda igitur tempestate, si infans ceteroquin valet, satis amplum spatium relinquitur. Cetera quae obiiciuntur, facile vitari possunt, ut insanae istae vectiones per nives et pluvias, dissoluta convivia et compotationes in loco ubi ecclesia est, neglectio miseri infantuli, quum domum deferatur (ruri). Nec minus, ut facile intelligitur, ab iniuria aëris frigidi in ecclesia vel frigidioris aquae baptismalis cum aliqua cautione infans defendi potest. Si statim post adventum in ecclesiam infans baptizetur, nec minister diutius expectandus sit, si aqua paulo calidior et tepida facta sit, si ex necessitate forte propter maximum frigus in sacristia [1]) baptismus conferatur, denique si

[1]) Mihi plane probatur, quod Vering dicit, maxime vituperandum esse, si baptisterium, id est locus, in quo baptizari solet, saepe inveniatur in illa ecclesiae parte, quae humidissima, frigidissima et aëri permeanti maxime exposita sit, scilicet sub turri vel propius ad ianuam. Hanc teneri filioli sui valetudinis rationem etiam in aedificiis suis ecclesia adhibere debet, ut quantum ex ipsa pendet conferat, ne ille simul cum vita spirituali accipiat germen mortis corporalis. Nonne id satis est, ut *semper* sacellum adiunctum vel sacristia, cuius aër, quippe minori spatio inclusus, calidior est, et quae per hiemem calefieri potest, ad baptizandum praeferatur atque ut venia magistratus ecclesiastici ad hanc loci commutationem faciendam necessaria petatur?

omnia, quae detrimento esse possint, ab omnibus quantum fieri potest, removeantur, baptismus in ecclesia collatus quam rarissime grave aliquod damnum infanti adducet. Usus ille pervulgatus infantem in domo baptizandi a protestantibus introductus est et id ipsum fortasse est, cur tanto indignationis et affectationis impetu defendatur.

II. DE COMMUNIONE.

Ad finem nobis propositum id solum pertinet, ut de communionis subiecto eiusdemque corporali dispositione dicamus.

Quilibet homo baptizatus ad sacram communionem tempore paschali et in periculo mortis accipiendam obligatus est.

Ab usu communionis eximuntur, ita ut eis distribui communio non liceat: infantes ante usum rationis, tum illi, qui a nativitate vel a tempore, quod usum rationis antecessit, sunt amentes, fatui, delirantes, denique illi, qui surdomuti et simul caeci sunt, „cum in illis nulla discretio inveniri possit.“

Amentibus, fatuis, delirantibus in articulo mortis communio dari licite poterit ac debebit, si non perpetuo fuerunt mente capti, sed antea usum rationis habuerunt, „nisi forte timeatur periculum vomitus vel exspuitionis“. Qua in re ego semper necessarium esse ducerem, ut prioris vitae ratio haberetur; deberetne ex. gr. in articulo mortis viaticum dari etiam tali homini, qui per multos annos ebriositati deditus ipse sibi animi perturbationem conscivit et sine lucido intervallo in mortem incidit? S. Thomas dicit: „Si prius, quando erant compotes suae mentis, apparuit in eis devotio huius sacramenti.“ Multorum insanientium vita anteacta est quaedam quasi catena gravium peccatorum inter se cohaerentium, quae ipsa per se ad delirium perducit. Numquid supponendum est, eos ante rationis amissionem desiderium habuisse accipiendae communionis?

Huc etiam pertinent, qui ex febri delirant vel sopore opprimuntur, ex quo mors secutura praevidetur. Quodsi bene

deglutire hostiam possint, cuius rei antea experientia facienda est, etiam his, sub iisdem conditionibus, quibus amentibus, licet communionem dare. Utile erit, si iisdem simul cum sacra specie vel statim post eius sumptionem aliquid aquae vel vini ad bibendum praebeatur, quum sensibus destituti et delirantes, etiamsi liquores facile deglutiant, tamen siccam speciem, quae ad deglutiendum non cogit, facile in ore retineant, liquor autem fauces, in quas intrat, ad deglutiendum excitet. Etiamsi aqua partim prius in stomachum descenderit quam species, nihil refert, quia periculum mortis, quod hic supponitur, ieiunium non postulat (vide infra).

Semifatuis dari potest communio, quando eam sufficienter ab aliis cibis discernere valent. Cur nonnulli theologi ita rem restringant (cf. Gury tom. II. pag. 218), ut dicant, hisce semifatuis raro tantum, scilicet in articulo mortis et ubi urget strictum communicandi praeceptum, dandam esse communionem, equidem non satis intelligo. Si homo illam discretionem habet, tum in frequentiori communione irreverentia non erit; quam si non habet, eadem ratione tractandus erit, qua delirans.

Etiam amentibus, qui lucida intervalla habent, in ipsis intervallis dari communio potest, si huius desiderium manifestaverint. Hic tamen consultum sit, ut qualia sint lucida intervalla et quamdiu communiter durent, ex circumstantibus vel ex medico explores.

Surdomutis, qui sufficientem habent discretionem, sine ulla dubitatione etiam saepius communio praeberi potest. Item nihil impedit, quominus caeci frequentius communicent. Epilepticos, quando in actuali paroxysmo versentur, communionem accipere non posse patet. Ceteris autem temporibus illud solum impedimentum esse possit, quod tam saepe paroxismi repetantur, ut quodammodo nullo fere temporis momento liberi sint. Tum vero animi perturbatio mox adeo progreditur, ut huiusmodi aegroti velut fatui vel semifatui habendi sint. Si epilepticus expertus sciret, se in ipsa ecclesia plerumque vel semper paroxismo corripi, id mea quidem sententia satis esset, cur eidem sicut aliis aegrotis, nisi aliud quid obstaret, communio tempore paschali domum deferretur.

De corporali quidem dispositione dicunt theologi, nullos prorsus morbos naturales, ne vel maxime deformantes quidem vel putidos dispositionem afficere, quoniam per se neque devotionem impediunt neque „ad moralem bonitatem pertinent“. Etiam pollutio et actus coniugalis, de quibus nonnulli auctores, ut Scavini, tractant in hoc capite: dispositiones ex parte corporis, ad nos hoc loco non pertinent, quum magis in animi quam in corporis dispositionem influant. Quodsi plane nihil peccati cum iisdem coniunctum fuerit, ipsam dispositionem non afficiunt. Nihilominus tamen optandum videtur, ut actus coniugalis saltem paulo ante communionem omittatur, quum, quamvis omnino licitus sit, tamen aliquam semper perturbationem secum ferre soleat.

Duae vero res in corporali dispositione maximi sunt momenti: inclinatio ad vomitum et ieiunium naturale.

Illis aegrotis, qui iugi vomitu laborant, iuxta theologos communio danda non est, nisi forte per sex saltem horas liberi a vomitu fuerint. Tussis autem, etiamsi frequentior sit et multa simul sputa excreantur, communionem non impedit, quia sputa, quae tussiendo expelluntur, non e stomacho et oesophago, sed e pulmonibus et bronchis proveniunt. Tum solum, si vehementissima tussi aeger subito tentaretur, periculum esset, ne ipso tussis impetu, vel vomitu qui tussiendo excitaretur, hostia sacra reiiceretur; quod si fiat, aut a communione abstinendum aut exspectandum est, donec impetus transierit. Contra in ipso vomitu simul species e stomacho proiiceretur; quare quum vomitus paulo post communionem futurus praevideatur, vel etiam in dubio, utrum vomitus secuturus sit, communio dari nequit. Spes igitur certa vel saltem probabilis requiritur, fore ut paulo post communionem vomitus non sequatur. Satisne est ad hanc probabilitatem consequendam, an semper necessarium est, ut saltem sex horae ex ultimo vomitu praeterierint? Quodsi aegrotus antea multo frequentius, post parva intervalla vomuit, tum quidem longius intervallum, quod vel infra sex horas esset, in dubio tale iudicari posset, ut species non multum irritans ventriculum paulo quietiorem non statim denuo ad vomitum provocatura

esset. Sin autem intervallis inaequalibus, modo longioribus modo brevioribus interiectis vomitus accidit et communis valetudinis ratio non mutata est, etiam mora sex horarum nihil certitudinis afferre mihi videtur. Quum e. c. in cholera vomitus sint frequentissimi et mora 2—4 horarum, certissime 6 horarum mora indicet valetudinis mutationem, quae spem faciat desiturum esse vomitum, contra v. g. in morbis et violationibus cerebri, in morbis renum et ventris inflammationibus vomitus fit intervallis non ita brevibus et constantibus, quare in his conditionibus equidem horas saltem duodecim inter vomendum interpositas esse postularem, priusquam communionem concederem. Idem valet de vomito in hernia incarcerata et de vomito illo inexstinguibili, qui dicitur, ex quo praegnantes interdum laborant. Ceterum censeo, in singulis casibus consulendum esse medicum, utrum iudicet, sine periculo vomitus mox futuri communionem dari posse. Praeterea consilium impertirem, ne communio daretur, quamvis congrua vomendi mora interposita esset, nisi aliquantulum cibi sive solidi sive fluidi post ultimum vomitum aeger percepisset. Nam si ponamus, aegrum post ultimum vomitum nihil sumpsisse, exspectandum erit vel saltem timendum, fore ut species vacuum stomachum satis irritet atque ad iterum vomendum excitet. Idem dicendum est de iis conditionibus, in quibus vomitus non ab ipso stomacho provenit, sed aut a cerebro aut per sympathiam e. c. a renibus vel a peritonaeo movetur; etiam hic irritatio membranae pituitariae stomachi occasio vomitus esse potest. Quoniam in omnibus eiusmodi conditionibus tum solum communio dabitur, quum aeger in periculo mortis versatur, praeceptum ieiunii utique non prohibet, quominus suadeam, communionem non dandam esse, antequam aeger post ultimum vomitum aliquantulum aquae vel tale quid perceperit. Id si fecit sine inclinatione ad vomendum, coniicere licet, etiam speciem vomitum non effecturam esse.

Communione sumpta aeger quietissimus sit neve ullam potionem sumat, vel si forte ad speciem facile deglutiendam bibendum est, potionem minimam. In hunc finem aptissima est aqua frigida et recens vel si haberi possit, glacialis. Atque

communiter quidem glacies inclinationem vomitus maxime imminuit; eademque ita est innoxia, ut ad removendam istam inclinationem ea uti cuilibet liceat, etiam inconsulto medico. Ibique optimum est, glaciei particulas magnetudine fere nucis avellanae deglutiendas dare.

Unum quendam vomitum praeter alios hoc loco commemorabo, eo quod aliae rationes intercedunt: eum qui vomitus matutinus appellatur. Is maxime invenitur apud eos, qui liquoribus spirituosis diutius abusi sunt. Oritur ex chronico catarrho stomachi et pharyngis, vel ex alterutro, ac propterea etiam in hoc utroque catarrho adesse potest, etiamsi non ex nimio acrioris liquoris usu exortus sit. Maxime tamen homines ebriosos et potatores cruciat. Hi postquam mane surrexerunt, sobrii vel quamprimum aliquid in stomachum intulerunt, misero cum labore vomitare incipiunt; et licet sine nausea quidem, maxima tamen cum contentione (quum stomachus plane vel fere vacuus sit) aliqua pituitae copia cum aliquibus ciborum reliquiis expellitur. Hi matutini vomitores aperte in summo periculo versantur etiam speciem evomendi. Qui quum a ieiunio liberari nequeant, non illis licet glaciem vel aliud vomitus remedium ante communionem sumere. Neque aliud eis consulendum esse video, nisi ut diebus communionis mature surgentes non prius ecclesiam adeant, quam suum vomitum absolverint. Tum vero et a potationibus abstineant et de catarrho pharyngis vel stomachi medicum consulant.

Alius vomitus matutinus apud mulieres gravidas in primis mensibus frequenter invenitur. Etiam hic sobriis accidit vel post primam cibi sumptionem. Frequentissimus est in primis graviditatis mensibus atque in tertio vel quarto desinit. Hae praegnantes, quae tali vomitu laborant, quum Deus ita velit, a communione abstinere debent, donec aliquot dierum usu edoctae spem concipiant, fore ut vomitus non redeat.

Si tamen post communionem vomitus sequatur, quid censendum est de tempore post communionem, quo res evomuntur? Quantum tempus requiritur, ut species plane corrupta dici possit? Quamvis digestio (concoctio) non semper eodem tempore

perficiatur, quum aliquo modo dependeat a maiori minorive copia liquoris in stomacho contenti, a maiori minorive secretione succi stomachici, a motu stomachi etc.; illud tamen certe dici potest, intro semihoram post communionem speciem prorsus concoctam esse et iam non existere. Mechanica quidem divisio et dissolutio iam citius absolvitur, sed meo quidem iudicio haec non est eadem ac corruptio speciei panis; corruptio enim, credo, in eo est, quod succus stomachicus (et saliva) naturam speciei chemice immutat, ita ut non iam panis sit.[1]) Cardinalis de Lugo[2]) censet, parvam speciem (qualis dari solet laicis) intra unum minutum, speciem vini et hostiam maioris formae intra quartam horae partem corrumpi; Collet[3]) existimat, in laicis (pro minori specie) per quadrantem, in sacerdote celebrante per dimidiam horam vomitionem praecavendam esse. Utrumque tempus aliquanto brevius esse iudico. Minimum dimidiam horam postulare debere mihi videor, antequam corruptio speciei vera et completa dici possit. Qua in re discrimen inter minoris et maioris formae speciem non tam grave iudicare velim. Nam maior etiam species ad proportionem res est parva, quae a succo stomachico facile penetratur et eodem fere tempore, quo minor species, chemice immutatur. Item ad speciem vini corrumpendam semihora abunde sufficere videtur. Quodsi ante dimidiam horam post communionem exactam vomeretur, res eiectae ita tractandae essent, ut ordinationes ecclesiasticae fieri praecipiunt in vomitu specierum *non* corruptarum, si particulae visibiles specierum non exstant vel non inveniuntur. Nemo ignorat, specierum particulas visibiles et agnitas esse colligendas atque in loco sacro, tuto et bene clauso servandas, donec sint omnino corruptae, priusquam in sacrarium effundantur.

---

[1]) Si dico, „ita ut non iam panis sit“, patet ita intelligendum esse: ut species physicales et chemicas proprietates panis, seu speciei panis amiserit. Nam ad „speciem“ certissime etiam pertinent proprietates chemicae.

[2]) Disput. 10 de Euchar. n. 54.

[3]) Traité des ss. Myst. ch. 14 n. 14. (citatur secundum P. J. B. de Herdt, Sacrae Liturgiae praxis. Lovanii 1863. Tom. II. pag. 224.)

Von Olfers l. c. p. 44 contendit, in ipso oris cavo amittere panis speciem naturam suam, quippe cum per salivam magna pars amyli in saccharum immutetur. Hoc sine dubio falsum. Nam saltem aliqua pars amyli et haud scio an maior „speciem panis“ retinet et tum demum perit, quando vel iam hausta est vel diutius in ore posita. Ceterum Liguori aperte: „Species non sunt retiendae in ore tamdiu, donec penitus pereant, quia tunc non *manducaretur* Christus nec gratia sacramenti conferretur.“ Consequenter von Olfers affirmat, posse dici, rem *manducari* etiamsi non deglutiatur, sed satis esse ad assimilandum homini cibum, ut in oris cavum recipiat. Equidem veterem sententiam sequor, quia puto, quae ex sententia Olfers sequuntur, facile ad s. sacramentum contaminandum ducere posse.

Ne illud quidem assertum, quo v. Olfers, l. c. pag. 45, dicit, speciem vini in stomacho statim perire, equidem approbo. Alcoholum enim vini *statim* in sanguinem transire, cum aliqua exceptione intelligendum est. Constat enim, vinum, quod sub haustum evomitur, nondum periisse, sed instar vini et sapere et redolere.

Superest, ut iam dicamus de ieiunio naturali ante communionem, quod est abstinentia totalis post mediam noctem a re qualibet, quantumvis minima, quae sumitur per modum cibi et potus.

Vix ullum est praeceptum, quod theologi subtilius ac diligentius pertractaverint, quam praeceptum ieiunii ante communionem servandi. Ecce quid sentiant:

Reliquiae cibi, quae inhaerent inter dentes, non frangunt ieiunium, si involuntarie traiiciuntur, „quia non habent rationem cibi“. Voluntariam traiectionem in stomachum nonnulli illicitam iudicant ac postulant, ut saltem eae reliquiae exspuantur, quae in lingua remanere sentiantur. Alii hac re ieiunium frangi, admittere nolunt, quia secus periculum adesset, ne innumerabiles scrupuli et anxietates orirentur.

Aliquae guttulae aquae (v. g. os lavando) vel alterius liquoris praeter intentionem transglutiatae non frangunt ieiunium; additur vero, „modo non sint in magna quantitate“. Sin autem ex proposito deglutiantur, ieiunium frangunt, „quia tunc nihil deest, ut rationem cibi aut potus habeant“.

Pulvis tabaci per nares sumpti ieiunium non solvit, etiamsi aliquid in stomachum transmittatur, quia non sumitur per modum comestionis.

Fumus tabaci, odor camphorae, fumus ciborum in culina ex sententia communiori ieiunium non solvunt.

Masticatio foliorum tabaci, quamvis sit indecens ante communionem, et ne sine gravi causa fiat, sub peccato veniali interdicitur, ieiunium non solvit, etiamsi deglutiatur *praeter intentionem* aliquid modicum succi salivae inseparabiliter admixti; quia tum hic succus per modum salivae traiicitur. (*Ex proposito* succus tabaci vulgo non deglutitur; quod sie fieret, certissime ieiunium frangeretur.)

„An clysterium frangat ieiunium?“ De hac quaestione sub annum 1660 (ut Liebreich[1]) scribit) inter chirurgos et theologos vehementer disputatum est. Potest eadem etiam hodie alicuius momenti iudicari, cum clysteria nutrientia haud ita raro ad aegrotos alendos his diebus applicantur. Nunquam vero clysterium nutriens frangere valet ieiunium, quia, licet ad alendum applicetur, neutiquam per modum cibi vel potus sumitur.

In hac causa a theologis neque temporis neque rei perceptae parvitas admittitur. Simulatque illud horologium, quod aut sequi *debemus* (licet autem ex duobus horologiis dissonantibus illud sequi, quod tardius tempus indicat, nisi plurimum errat), aut sequi *volumus,* primo ictu indicavit expletam esse mediam noctem, incipit ieiunii obligatio. „Qui aliquid sumit post primum ictum (licet ante ultimum) non amplius potest communicare.“ (Cf. Scavini l. c. tom. III. pag. 565.)

Ex his praeceptis accuratissimis patet, quantum momentum huic ieiunii mandato tribuatur. Idem etiam clarius apparet ex severitate theologorum, quam adhibent in exceptionibus diiudicandis. Quare quum omnes in hoc consentiant, gravissimum esse ieiunium naturale, quumque ubique efferant necessitatem strictae et accuratae observationis huius praecepti, praeterea non est, quod de eodem amplius disputem. Neglectis igitur dubita-

[1]) Cf. Terapeutische Monatshefte 1887. 3. Heft. pag. 104.

tionibus et votis, quaecunque ex arte medica mihi forte exoriantur, satis habeo, illas causas a ieiunio excusantes afferre, quas theologi ratas habent. Sunt autem: Periculum profanationis, periculum scandali vel gravis infamiae (pro sacerdote), necessitas perficiendi sacrificii; denique, id quod ad nos hoc loco maxime pertinet, periculum mortis, ex quacunque causa proveniat. Potest igitur ss. sacramentum per modum viatici illis infirmis etiam non ieiunis deferri, qui in periculo mortis versantur. Neque necesse est, ut haec mors *proxime instet* vel *certo* ex hoc morbo sequatur. In omnibus infirmitatibus, quaecunque suapte natura mortem adducere possunt sive per se sunt mortiferae, infirmo etiam non ieiuno communionem dare licet. Iisdem infirmis etiam pluries permittitur communio non ieiunis, durante eodem vitae periculo, vel si periculum, quod praeteriisse videbatur, denuo recurrat vel augeatur. Hoc igitur imprimis valet de illis casibus, qui subitam et repentinam mortem minitantur, et de morbis acutis ac mortiferis. Sed in morbis chronicis tum demum praeceptum ieiunii negligere licebit, cum aut morbus ad illud momentum pervenit, quod communiter mortem adducere solet, aut quum novi casus novum periculum afferunt. Qua in re moralis certitudo absoluta de proximo vitae periculo non requiritur, sed sufficit, ut periculum vere dubium vel probabile videatur. Illud vero semper ultro intelligitur, etiam huiusmodi infirmos debere ieiunium servare, si sine ullo damno vel gravi molestia possint, id quod in morbis chronicis ad exitum usque plerumque facere possunt. Hic tamen a nimia anxietate est cavendum.

Infirmis autem illis, qui licet lecto affixi, periculoso morbo non laborant, ex communi sententia communio non permittitur, ne paschali quidem tempore, nisi sint ieiuni. Idem dicendum de iis, quos forte constaret non posse manere ieiunos, quamvis vere infirmi non sint. Sunt quidem nonnulli theologi, qui eiusmodi aegros raro, id est aliquoties per annum, etiam non ieiunos ad communionem admitti posse censeant. Sed horum singularis est sententia, communissima theologorum sententia id fieri posse negat. Solus papa hac in lege dispensare potest

atque hic rarissime et gravissimis tantum de causis dispensat. „Videtur vero," inquit Gury (l. c. tom. II. pag. 227), „tunc adesse ratio sufficiens, cur interdum Eucharistia post mediam noctem infirmo administrari possit." Nam praeter proximum vitae periculum noctu communionem alicui infirmo deferri generatim est prohibitum.

Fortasse necessarium esse dices, ut pauca adiiciam de iis adiunctis, quae efficiant, ut infirmus ieiunare non possit. Iamvero haec quaestio fere ad sola medicamenta et potiones pertinebit. Ac medicamenta quidem adhibenda sunt secundum ordinationem medici. De potionibus autem illud dicendum videtur, abstinentiam a potionibus per plures horas bene multis graviter decumbentibus valde molestam esse. Atqui gravem molestiam infirmus in periculo mortis constitutus subire non tenetur. Infirmus igitur ipse sentire ac iudicare debebit, utrum sine molestia a potu abstinere posset. Singulos morbos et affectiones, quae ad saepius bibendum cogunt, hoc loco perstringere supervacaneum esset, idque perturbationes et anxietates adduceret. Quodsi opera datur, ut non diutius protrahatur ieiunium (h. e. si infirmo communio primo mane defertur), saepe infirmus ipse ieiunium servare optabit, nisi aliter medicus ordinaverit.

Denique disputari potest quid faciendum, quando vel difficile vel impossibile est, cibos in corpus recipere. (Cf. v. Olfers l. c. pag. 117.) Undecunque hoc impedimentum oritur, nunquam fieri potest, ut s. communio non porrigatur, dummodo cibi demitti possint. Quamquam tum cum aegrotus difficulter deglutit, fortasse consultum est, parvam tantum particulam s. hostiae simul et paululum aquae porrigere. Idem valet, ut recte dicit v. Olfers, quando aegrotus nervorum rigore (tetano) et maxime maxillarum (trismo) laborat; tum enim cibi saepe per solum dentis excussi spatium instillari possunt. Quodsi aegrototus deglutire potest, videtur etiam licitum esse, per hoc dentis lacunar s. hostiam inferre.

Infirmus, qui deglutire non potest, item non valet manducare. Praeterea videtur peccare contra reverentiam, si quis instrumentis

chirurgicis particulam s. hostiae velit in fauces vel in stomachum immittere.

Itaque tum abstinere debemus a porrigenda s. communione, etiam in articulo mortis. Sed si v. Olfers in definienda voce manducandi verum diceret, satis esset, parvam particulam in os ingerere, ut ibi periret et paulatim vel imbiberetur vel postea per ipsam salivam abduceretur.

Sed ut taceam, hostiam tum non vere a corpore recipi, mihi videtur etiam ita reverentia violari.

III. DE EXTREMA UNCTIONE.

Extrema unctio est sacramentum, per quod homini christiano graviter infirmo salus animae confertur, et sanitas etiam corporis restituitur, si haec ad animae salutem requiratur vel expediat. Quamvis etiam hoc sacramentum, sicut cetera, ad spiritualem utilitatem institutum sit, tamen de fide est, per extremam unctionem etiam sanitatem corporis restitui, si animae saluti expediat. Sequitur, pessime agere eos, qui extremam unctionem tum demum aut accipere aut administrare volunt, quando mors certo prope instat.

In qualibet mortifera infirmitate homo christianus sacram unctionem accipere et potest et debet. Quae iterari etiam potest, si post primam administrationem vitae periculum iamiam praeterierat et novum periculum, etiam in eadem infirmitate, recurrit. Neque hic absoluta certitudo periculi mortis requiritur; sed ut quis licite et valide hoc sacramentum accipiat, sufficit, si cum ratione timeri vel supponi potest, infirmum in periculo mortis versari.

Pueris rationis usu carentibus, et iis hominibus, qui a nativitate rationis impotes erant (fatuitas innata), extrema unctio conferri non potest. Conferri autem licite potest reliquis amentibus et fatuis, delirantibus et sensibus destitutis, surdomutis et iis etiam, qui inde a nativitate surdomuti idemque caeci erant.

„Mulieri vero laboranti in partu, si laboret doloribus communibus et ordonariis, non debet dari unctio extrema, etiamsi prima vice pariat aut alias fuerit in vitae periculo; tunc enim non laborat infirmitate periculosa. Sic in Concilio Mediolanensi II. praescriptum est: neque enim illa dolorum acerbitas est *infirmitas,* sed effectus naturalis partus. (Benedictus XIV. De Syn. Dioec. 1. VIII. C. VI.) Secus esset, si laboret doloribus extraordinariis: tunc debet inungi, cum *iam infirmitas periculosa* sit, et adsit verum mortis periculum.“ (Scavini l. c. tom. IV. pag. 207.)

Parturientibus igitur extrema unctio tum solum conferri licite potest, si in proximo vitae periculo, in articulo mortis versantur v. g. si vehementi sanguinis profluvio, interna dilaceratione, spasmis eclampticis etc. status vitae periculosus adducatur.

Ante mortiferam aliquam operationem tum solum licet sacram unctionem administrare, si morbus ille, qui operationem exigit, ipse per se vitae periculum secum fert, v. g. in sectione caesarea, quum partus alia ratione fieri nullatenus possit. Quodsi infirmitas per se non est mortifera, s. unctionem administrare non licet ante operationem quamvis mortiferam, quae ad curandum morbum instituenda est. Exempli causa, si propter malignum tumorem, qui in posterum quidem, sed non statim vitae periculosus sit, gravis et mortifera operatio facienda esset, illud vitae periculum, quod in ipsa operatione oriretur, non directe ex morbo proveniret, sed operatione demum productum vel propius effectum esset, quare tum s. unctionem conferre non liceret.

De modo unctionis faciendae lego apud theologos indicatum, licitum esse, in morbis contagiosis non ipsa manu sed mediante penicillo aegrum inungere. Profecto non est meum, auctores ibidem laudatos impugnare, vel infitiari, quominus *id liceat;* tamen dissuadere illud velim. Primo quia haec cautela supervacanea est, quum contagionis periculum semper levissimum sit. Etiam in iis morbis, qui solo contactu inficiunt, iam ipsum

oleum impedit, quominus contagium morbi transferatur.[1]) Praeterea in omnibus partibus inungendis ea loca seligi possunt, quae ulceribus, variolis, etc. minus aut nullatenus operiuntur. Sed in plerisque morbis periculum contagionis non in immediato aegrotorum contactu positum est, sed iam in eorum vicinia et in cubiculi aëre, venenosis morbi seminibus refertissimo. Quare nihil proderit, contactum evitare. Alia ratio, cur id dissuadeam, est scandalum. Circumstantes certe, neque id sine ratione, mirabuntur et offendentur eo, quod pastor animarum adeo pavidus ac timidus sit, quum eodem in periculo v. g. a medico sine ullo timore infirmum iterum iterumque manu tangi et apprehendi videant. Quid vero de aegrotis fieret, si medicis etiam tantus contagionis timor inesset? Porro quid de ipsis medicis fieret, si tantum esset contagionis periculum? Patet, ita vulgo homines et interrogaturos et iudicaturos esse. —

Hic opportunus videtur esse locus disserendi:

De medici obligatione qua providere debet, ut infirmus in periculo vitae constitutus tempestive saluti animae suae consulat.

„Gravissime peccat medicus, si non praemoneat de gravi periculo aegri, ut ipsi Sacramenta conferantur. (Gury tract. de oblig. medicorum III. 11.) . . . Caveat autem medicus, ne diutius monitionem differri patiatur. Non enim protrahere debet usque dum certum sit mortis periculum; sed ad hoc officium tenetur, quando advertit periculum graviter imminere. Si hunc morem servarent medici, non adeo aegroti admonitionem reformidarent nec ad confessionis mentionem terrore corriperentur.“ (Gury ibid. Quaes. I.)

---

[1]) Id sane fieri posset, ut digitum pluries intingendo in oleo, oleum ipsum inficeretur. Quod ut vitetur satis est, globulum bombacii oleo ita humectare, ut eodem bombacio tanquam instrumento *omnes unctiones* fiant, et non denuo in oleo intingatur. Ita etiam omnem speciem evitabis, quasi contagionem timeas.

Hoc praeceptum adeo perspicuum et prudens est, ut certe non multa addenda essent. Sed proh dolor! vulgo, saltem in nostris regionibus etiam adhuc mos pravus obtinet, tum demum sacerdotem advocandi ad infirmum, quando certum est mortis periculum. Inde et infirmi et circumstantium terror, quando medicus de sacerdote vocando loquitur; inde pavor medicorum sacerdotem arcessendi. Iamvero quis haec mutare poterit, ecquis alius praeter *solos* medicos? Utinam ergo medici tandem id cognoscant! Concilium Lateranense IV. anno 1215 praecepit dilucide et aperte, ne medici etiam in morbis non mortiferis infirmos curandos susciperent, nisi infirmi antea confessi essent aut de confessione facienda admoniti. Communior tamen sententia est, ut Scavini [1]) refert, „hoc praeceptum urgere dumtaxat in morbis actualiter periculosis et in illis etiam, qui iudicantur posse *in posterum* periculosi fieri". Ergo hoc praecipitur, ut initio morbi, qui vulgo periculum afferre potest, infirmus tempestive de sacramentis recipiendis moneatur. Docet tamen Benedictus XIV. (cf. Scavini ibidem) secundum communem theologorum sententiam non obligari medicum ad deserendum infirmum, qui confiteri nolit et qui, si a medico deseratur, periculum subeat.

Itaque quum ipsi certe medici aegre ferant, quod eorum monitum arcessendi sacerdotem vulgo veluti sententia mortis accipiatur, quumque ecclesia severe praecipiat, ut de confessione mature moneant, cur id non provident, ut hac in re paulatim melior usus existat? Brevi enim tempore ubique omnis falsa opinio et timor extremae „administrationis" deleretur, si medici constanter in quolibet periculoso morbo mature sacerdotem advocandum curarent. Idem ante quamlibet periculosam operationem opus esse patet, etiam tum, quum mors in ipsa operatione non timeretur. Gravi enim operatione peracta, praesertim quum vulnus male sanetur, infirmus saepe iam non ita sui compos est, ut integra mente sacramenta recipere possit, ideoque facile sine eorum usu morietur. Praeterea mentis tranquillitas,

[1]) l. c. tom. I. pag. 452.

quam usus ss. sacramentorum semper, ut experientia docet, aegroto affert, eundem maiori fiducia et voluntatis robore ad operationem suscipiendam exornabit atque ita spem felicis successus atque exitus multum augebit; nam si quis infirmus magna voluntate pollet, vulnera inprimis atque operationes earumque sequelas communiter felicius perferet, quam si quis est imbecilli animo.

Non tamen semper est necessarium, ut medicus *per se* moneat aegrum de periculo. Id enim aliquoties pro infirmo effectum maxime molestum et noxium habere posset. Quare quoties circumstantes non in suspicionem veniunt vel etiam ii sunt, qui usum sacramentorum infirmo potius prohibeant quam commendent, plerumque consultum sit, id munus ad propinquos vel domesticos deferre.

Medicum etiam tum officio satisfacere censet Gury, si notum aegroti confessarium (vel etiam parochum?) de periculoso statu poenitentis moneat, ita ut ille aegrotum invisendo efficacius movere possit ad saluti animae suae providendum. Id tamen hic non praetermittendum est, quod ipse saepe medicus infirmum paulo contumaciorem ad usum sacramentorum multo facilius adducere potest, quam sacerdos. Aegrotus enim eiusmodi ita cogitabit: Sacerdos quando de necessitate confessionis loquitur, nondum probat periculum verum adesse, nam sacerdos statim id agere solet, ut infirmi confiteantur. Medicus contra si dicit ipsum in periculo versari, facilius credit et saepius tum sacerdotem desiderare conspicitur is aegrotus, qui paulo ante sacerdotem abire re infecta permiserat vel etiam imperaverat.

Etiam tum, quum medicus infirmum non catholicum graviter decumbentem curandum suscepit, obligatus est, eundem et circumstantes de periculo vitae docere, ut hic temporalia et aeterna pro sua fide et religione ordinare possit.

Quid vero, si infirmus catholicus medicum habet non catholicum, aut impium, religionis revelatae contemptorem? Sane haec res est pessima. Eiusmodi infirmo et circumstantibus est officium interrogandi medicum, utrum forte morbus periculum vitae secum ferat, ac deinde, si medicus responsum certum ac

securum non daret, securitatis causa advocandi sacerdotem. Quod si accidit, — idque praesertim in regionibus mixtae confessionis saepissime fieri solet, — sacerdotis est, etsi non vocetur, infirmos suae parochiae invisere, simulatque de eorum morbo certior factus est. Longius de hac re disserere ad me nunc non pertinet, sed ad theologiam pastoralem. Restat *unum* hoc loco commemorandum. Quamquam sacerdos optare debet, ut quilibet infirmus a pio medico eiusdem confessionis curetur, tamen non laudandus esset is sacerdos, qui parum prudenter descenderet ad unum ex compluribus medicis commendandum et eligendum. Nam primo nunquam publice id agere liceret, praesertim inter populum mixtae religionis, sed privato colloquio relinquendum est. Consultissimum est, ut sacerdos in hisce rebus suum iudicium non interponat, nisi ipse coram interrogetur. Tum autem commendatio vel electio non ita fieri debet, ut alicui medico nominatim designato fides adimatur. Prudentissimus quisque responso evitabit, si aperte respondere non potest, quin aliquem laedat vel minuat. Poterit etiam medicum eligendum proponere, sed ita, ut eum prae aliis non laudet; v. g. dicet: Equidem utor hoc medico et bene me habeo etc. etc. Quodsi in sacerdotis parochia medicus aliquis munus exerceret, quem vitam inhonestam agere et moribus parochianorum detrimentum afferre constaret, tum certe parocho et ius est et officium *privatim* de tali periculo monendi. Fur domesticus periculosior est externo, idque variis de causis; medicus corruptis moribus furis domestici instar habet, mores si respicimus.

De consuetudine, quae sacerdoti est cum medico, de qua nonnulla medicinae pastoralis manualia tam diffuse disputant, non video, cur hic aliqua praecepta addam. Si alter cum altero ita agit, ut decorum honestum ab hominibus doctis postulat, omni officio satisfieri videtur. Optandum est profecto, ut sacerdos et medicus simul „quasi matrimonio“ iuncti communitatis (parochiae) saluti provideant. Sed proh dolor! haec vota in vanum recidunt, quia neque omnes medici pii sunt, neque omnes sacerdotes satis liberi a falsis praeiudiciis. Unum autem pastores animarum velim precari atque exorare: ut quantum ex ipsis sit,

pauperum medicis, qui nunc fere ubique a communitate civili instituti sunt, familiariter utantur. Hac familiaritate quam plurimum adiuvari potest cura infirmorum et cura pauperum, ipsa deinde cura animarum, educatio, pax domestica, tota denique pauperum fortuna. Id dico usu tredecim annorum edoctus, quum pauperum medicus in territorio amplius 12,000 hominum fuerim. Plerumque medicus ille pauperum, quum munus suum suscipit, clericos inviset. Quod si negligit, peto a parochis, ut post aliquod tempus eum cognoscere studeant et amice quantum ex ipsis est, familiaritatem eius quaerant. Mox id utrique valde probabitur ad salutem pauperum infirmorum. Ita si familiariter inter se agere videantur et cognoscantur, etiam id efficient, ut fiduciam medico pauperum habendam augeant eiusque gravissimum munus allevent. Saepissime enim pauperes eo praeiudicio ducuntur, ut pauperum medicus ipsos non tam bene curet, quam eos, qui pecuniam solvunt, ut cariora ideoque, ut ipsi iudicant, meliora medicamenta praescribere non possit etc. etc. Diffidentia ex hac praeiudicata opinione orta medico pauperum est molestissima. Huc non raro accedit, ut haec plebs plerumque inculta a medico pauperes curante arrogantissima quaeque et impudentissima postulet, quia, ut aiunt, propterea *pecuniam suam accipiat*. Sic fit, ut medicus suam in pauperibus curandis laetitiam mox amittat et quam primum ab officio tam difficili atque ingrato se recipiat, atque hanc curam cedat alteri medico recentissimo!

IV. DE MATRIMONIO.

„Coniugale debitum dicitur communis ea coniugum actio, quae generationi necessaria est, quaeque a summo rerum omnium Provisore ad humanam societatem propagandam est ordinata. Haec autem actio sita est in carnali copula, qua vir ac femina unum quasi corpus et una caro efficiuntur.“ (Gury l. c. tom. II. pag. 881.)

Consistit copula carnalis in eo, ut membrum virile (penis) in vas feminale (vagina) immittatur ibique huc illuc moveatur

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

et teratur, donec voluptas venerea eveniat ac semen virile in vas feminale effundatur.

1. De onanismo. De peccato Onan.

Gury (l. c. tom. II. pag. 915) definit: „Onanismus in eo consistit, quod vir, post inceptam copulam, ante seminationem se retrahat, et semen extra effundat, ut generationem impediat.“ Ita definitur onanismus strictissime sumptus. Hunc prorsus non posse esse licitum adeo per se apertum est, ut amplius ne verbo quidem opus sit.

Idem valet de illo genere onanismi, in quo semen non quidem extra vas effunditur, ita tamen, ut intra vaginam alterum vas (uter membranaceus, spongia, alia) contineatur, quod post copulam *cum* semine removeatur atque ita generatio impediatur. Proh dolor! hoc genus onanismi adeo propagatum est, ut mercatura instrumentorum ad id inservientium (Condoms, Praeservativs, quae vocantur) latissime pateat atque in politicis et belletristicis, nonnunquam etiam in medicis ac technicis libellis res suas venditando impudentissime se iactet.

Usque ad a. 1882 exeuntem nihil aliud factum est, nisi ut haec frustratio coitus „sterilisationem“ clam et in privato agitaretur, publice autem tantum in quibusdam scriptis commemoraretur, quae non libet hoc loco designare. Tum medicus quidam sibi videbatur hanc quaestionem ad artem et praecepta revocare et publice proponere. Ac primum quidem subtiliter indicabat, quando liceret mulieribus, steriles se facere (quod appellabat „sterilitas facultativa“), deinde instrumentum aliquod mechanicum ad coitus frustrationem commendabat, id est publice laudabat verum onanismum. Tum ego statim hunc libellum impugnavi[1]) ac quid in ea re turpe esset, explicavi. Magna postea librorum copia eandem materiam tractavit, qui fere omnes vitae Christianae leges ac praecepta negligunt.

[1]) Dr. C. Capellmann, Facultative Sterilität ohne Verletzung der Sittengesetze. Aachen, R. Barth, 1882.

Potest sine dubio saepissime ex una alterave causa accidere, ut optandum atque adeo necessarium videatur, vel ad tempus vel in perpetuum infantibus carere; quare mihi placuit, id unum quod per mores christianos licet ad sterilitatem facultativam assequendam, fusius exponere et latius divulgare.

En, quae ad hanc quaestionem pertinent:

1. Permittitur sterilitas facultativa:

a) quandocunque graviditas mulieri afferre consuevit solito maiores molestias vel etiam vitam ipsam imminuit, velut quando adsunt cordis vitia, graviores morbi pulmonum chronici, copiae aquarum in cavernis corporis, tumores intestinorum;

b) quandocunque notabile periculum in partu edendo habetur, velut pelvis multo angustior, renum morbus post eclampsiam toleratam, profluvum sanguinis mortiferum in priori puerperio etc.;

c) quandocunque genitalia mulieris vel acute vel chronice aegrotant;

d) si nimis vel saepe vel celeriter mulier gravidatur, unde vel mater admodum debilitatur vel infantes rite nutriri vel educari non possunt. Medici est, iudicare, utrum haec signa adsint necne.

e) Denique egestas quaedam mihi satis sufficere videtur, ut permittatur sterilitas facultativa. Hanc egestatem autem ita definio, ut rationes accepti et *necessario* expensi *minime* inter se conveniant.

2. Nunquam permitti potest ad sterilitatem facultativam frustratio seminis id est nunquam licet in coitu praegnationem instrumento mechanico impedire. Nam

a) coitus sterilis sine ulla exceptione et iure naturae et praeceptis christianis prohibetur;

b) coitus sterilis, quicunque tandem est, valde est inhonestus; mulierem enim abicit et prosternit, cum contra naturam ex ea voluptas quaeratur.

c) Coitus sterilis, si diutius pergitur, valetudinem feminae atque etiam viri paulatim commovet.

3. Quare ad sterilitatem facultativam unice permitti potest, ut a coitu abstineatur. Iam vero rarissime id obtineri poterit, etiamsi maxime necessarium videatur, ut prorsus et semper se a coitu coniuges abstineant; nam illud aut nequaquam aut non diu observaretur. Sed facillime facere possunt coniuges, ut ad tempus abstineant. Neque dubitari potest, quin liceat, ita ad tempus se continere.

„Caeterum ait Ballerini,[1]) si coniugibus licet perpetuam ex communi utriusque sensu servare continentiam, si coniugibus licet continentiam servare ac matrimonii consummationem differre ad annos, viginti aut triginta seu ad eam usque aetatem, qua nulla prolis spes iam supersit; iterum vero, si in alium matrimonii legitimum finem, etsi omnis spes prolis absit, licet tamen iusta de causa, et servato naturae ordine coniugalibus iuribus uti, tum quando uxor certa sterilitate laborat, tum quando ob aetatem provectam ad concipiendum facta est prorsus inhabilis; quid demum prohibeat, quominus coniuges in finem superius dictum continentiam secundum normam ac limites praedictos servent? Aut qua demum lege ad congrediendum alio tempore ipsos adstringi dicemus?“

Vulgo notum est, summam praegnationis probabilitatem tum adesse, quando primis post menstruationem finitam diebus coniuges coëunt. Decrescit deinde probabilitas usque ad illud tempus, quando praegnatio est improbabilis. Atque hoc tempus est (ut multi alii et ego observavimus) tertia post coeptam menstruationem hebdomada. Ultimis autem diebus ante menstruationem proximam augetur secundum plurimos auctores praegnationis probabilitas. Id quidem dici nequit, esse inter duas menstruationes tempus aliquod, quo simpliciter et absolute femina gravidari non possit, sed illo tamen tempore probabilitas adeo est tenuis, ut revera nulla dici possit et debeat probabilitas.

Quamobrem ita praescribendum esse censeo: „Ad sterilitatem facultativam assequendam abstineto a coitu 1. inter 14 integros dies inde a menstruatione coepta, 2. etiam per 3—4

---

[1]) Gury, Ballerini l. c. tom. II. pag. 919. Nota.

dies, qui proximam menstruationem antecedunt.“ Quod si quis accurate observaverit, tantundem securitatis cum habere expertus sum, quantum in quovis alio „coitu sterili“ onanistico. Quare si leges honestatis et rationes suadent, ne liberi procreentur, nullum aliud medium per mores licet aut innoxium est valetudini aut rei propositae conveniens, nisi ut ad tempus abstineas a copula. Atque per se intelligitur, id utrique coniugi assensu suo comprobandum esse, ne altera pars cogatur se abstinere invita.

Porro dicunt theologi: „Nunquam licet (sc. uxori) directe semen effundere . . .: unde peccat mortaliter mulier, quae statim post copulam mingit, surgit, vel quid aliud facit animo semen expellendi.“ [1]) Mihi quidem praestare videtur, ut hoc peccatum e medio tollatur hac ratione, ut feminae in confessione id accusanti respondeatur, istum agendi modum nihil pravo mulieris consilio prodesse. Quamquam enim Scavini „statim“ magis effert, nihilominus certum remanet, semen quod iam in vas feminale penetravit, non tam facile effluere. Parietes vaginae post retractionem viri continuo hermetice componuntur, ideoque propter capillarem parietum tangentium vim sugendi fieri non potest, ut semen effluat. Sed esto, semen partim effluat, tamen semper satis multum seminis remanet. Cuius rei aperto documento est, quod etiam stantibus inter copulam coniugibus foecundatio bene fieri potest. Id vero per se patet, lotionem vel evacuationem seminis per iniectiones in vaginam statim post copulam factas vere onanismum iudicandum esse.

Quum in onanismo coniugali plerumque viro culpa tribuenda sit, duae in praxi graviores occurrunt quaestiones:

1. An uxor debitum a viro onanista petere possit, seu tali viro reddere possit aut reddere teneatur?

Theologorum est hoc decidere, atque aperte et clare id deciderunt. Praeterea ad idem affirmandum ex ratione physiologica aliquid ponderis additur. Multum enim abest, ut certum sit, viro onanistae turpem actionem semper prodesse. Nam

[1]) Scavini l. c. tom. IV. pag. 575.

aliquoties praeter vel contra ipsius voluntatem effusio seminis in vas vel tota vel partim locum habebit. Debreyne (l. c. pag. 162) narrat de duobus matrimoniis, in quorum altero ex 8 liberis 7, in altero omnes (7) liberi „par surprise“ procreabantur, quamvis copula cum voluntate onanistica fieret. Haec res ex una parte responsum affirmans huius quaestionis confirmat, ex altera parte cum aliquo fructu adhiberi potest, ut onanista, quum cognoscat, actionem suam vanam atque irritam esse, facilius forte ad eam omittendam moveatur.

2. An peccet uxor consensum internum voluptati praebendo, quando actum coniugalem viro onanistae permittere potest?

Respondent theologi: Non peccat, modo assensum peccato viri non praebeat. Causis, quae de hoc responso afferuntur, addi potest, nimium sane postulari, si consensus interdicitur in sequelas necessarias alicuius actus, qui non modo mulieri non prohibetur, sed a quo se tueri ne potest quidem vel licet. Ex ipsa causa supra allata, quod generatio „par surprise“ tamen fieri potest, mulier ad interturbandum actum nihil facere debet, sed pro viribus potius omnia facere, quae ad exitum legitimum consequendum necessaria sunt. Sed consensum internum hic non admittere, communes vires longe superaret.

Porro hoc loco tractanda est

2. Abruptio copulae ante seminationem.

1. „Quid dicis, si femina ante seminationem viri (sc. sine consensu viri) si retrahat?“ — Non licet.

2. „Quid dicis, si vir post seminis effusionem se retrahat, quin adhuc mulier seminaverit?“ — „Commune est,“ inquit Scavini (l. c. tom. IV. pag. 576) „posse se tactibus mulierem statim ad seminandum excitare, quia hoc pertinet ad complementum actus coniugalis. Esto, ut seminatio mulieris non sit necessaria, at summopere confert; cum natura nihil moliatur frustra. Atque ex hoc deducere est, peccare mulieres, quae in actu copulae animum in alia divertunt, ne concitentur ad

seminationem: sicuti vir peccat, qui mulieris seminationem non exspectat."

Seminatio feminae, etiamsi *aliquid* confert, tamen (absolute spectata) per se minime necessaria est ad foecundationem, et diversio ad alia neque proderit quidquam neque nocebit. Ita etiam hoc peccatum, quod in sola intentione positum est, e medio tollitur. Virum autem sub peccato obligare, ut mulieris seminationem exspectet, nihil aliud est, quam sub peccato postulare impossibilia. Effusionem seminis fere semper relaxatio partium virilium continuo sequitur, unde fieri non potest, ut pergatur in copula ad producendam feminae seminationem. Debreyne (l. c. pag. 184) dicit: „Je ne vois, que la prolongation de l'acte coniugale, ou un nouvel acte, qui soit complet et normal." Talia medicum sentire, equidem non capio. Neque unum neque alterum communiter fieri potest, saltem statim vel brevi post copulam. Quodsi longius tempus praeteriisset, finis huius actionis iam non obtineretur, sive is in „seminatione" feminae, quae ad complementum huius actus pertinere fertur, sive in levamine mulieri necessario constituitur. Quare quum ex legibus physiologicis huic postulato plerumque satisfieri non possit, neque ad finem copulae proprium seminatio feminae necessaria sit, de viri peccato hoc loco sermo esse non potest. Deinde quaeritur: utrum feminae licitum sit, post retractionem et seminationem viri, sese tactibus excitare ad propriam seminationem, ut sibi levamen necessarium procuret? — „Si hoc permitteretur uxoribus" inquit S. Alphonsus[1]) (Lib. VI. N. 919), „deberet permitti etiam viris, casu quo mulier post suam seminationem se retraheret, et vir maneret irritatus." Hac in re Debreyne, qui hunc locum ea mente affert, ut suam sententiam confirmet, paulo dolosius, ut patet, egit. Liguorius enim (l. c.) primum dicit, *nonnullos* auctores propositam quaestionem negare (dicentes id non esse licitum, si mulier posset se continere). „Ratio est, quia semen mulieris non est necessarium ad generationem; item quia effusio ista

[1]) S. Alphonsi de Ligorio Theologia moralis curavit P. Mich. Heilig. Mechliniae 1852.

mulieris, utpote separata, non fit una caro cum viro.“ Tum pergit: „Communius vero affirmant. Ratio, tum quia seminatio mulieris pertinet ad complendum actum coniugalem, qui consistit in seminatione utriusque coniugis; unde sicut potest uxor tactibus se praeparare ad copulam, ita etiam potest actum copulae perficere: tum quia, si mulieres post talem irritationem tenerentur naturam compescere, essent ipsae iugitur magno periculo expositae mortaliter peccandi, cum frequentius viri, quia calidiores, prius seminent (sed haec ratio non suadet, nam, si hoc permitteretur uxoribus, deberet permitti etiam viris, casu quo mulier post suam seminationem se retraheret, et vir maneret irritatus; at D D. communiter dicunt, id vetitum esse viris, ut Sanch. p. 10. Wiegand et Bon. I. c.); tum quia, ut plures sentiunt, seminatio mulieris est necessaria, vel saltem multum confert ad generationem, nihil enim a natura frustraneum agitur. Omnes autem concedunt uxoribus, quae frigidioris sunt naturae, posse tactibus se excitare ante copulam, ut seminent in congressu maritali statim habendo.“ Hoc loco sententia illa, quam Debreyne affert, tantum parenthesibus inclusa invenitur, atque nihil aliud ea vult, quam ut neget, mulieri excitationem statim post copulam eam ob causam permittendam esse, quod difficile sit „compescere irritationem“. Itaque Liguori hanc solam causam reiicere videtur, duas autem reliquas approbare. Illam primam Gury etiam paulo subtilius exprimit (l. c. tom. II. pag. 914) hoc modo: quia seminatio mulieris pertinet ad complendum coniugalem actum, *ut proprie coniuges sint una caro.*“ Atque haec expressio prorsus contraria est illi, qua ut Liguori scribit, adversarii utuntur: quia effusio illa mulieris, utpote separata, non fit una caro cum viro. Equidem contentioni doctorum theologorum meum iudicium non interponam, attamen sententiam Gury praefero. Matrimonium utrique coniugi ius ad satisfaciendum voluptati tribuit (propter periculum incontinentiae); quodsi actus legitimus ad id natura institutus et quantum fieri potest bene perfectus, mulieri sine ipsius culpa satisfactionem non affert, mihi videtur id mulieri licitum esse debere, ut *ipsum actum continuando* tactibus satisfactionem efficiat; qua in re nihil refert,

utrum ab ipsa an a viro tactus fiant. Confirmatur sententia mea ex illa causa, quam Liguori quidem reiicit. Difficillimum sane foret, illam irritationem impugnare, quae in commemoratis adiunctis fere semper locum habet. Atqui haec irritatio actu licito producta est. Num igitur mulier obligari potest, tanta cum molestia rem aliquam omittere, quae ut effectum habeat, matrimonio ius accepit? Idem eo minus admitti potest, quod, ut recte adnotat Liguori, *saepissime* seminatio viri ante seminationem mulieris locum habet. Tum magnus mulierum numerus in gravissimo periculo peccandi versaretur, quod avertere non valerent et quod si saepius repeteretur, humana natura vix ita suffere posset, ut *non* succumberet. Illud quoque certum, talem irritationem saepius repetitam, quam voluptas completa non sequatur, valetudinem admodum perturbare. Peribit totum nervorum systema non minus quam in copula onanistica totiusque organismi ruinam secum ducet; nam natura postulat, ut irritationem sequatur voluptas; sin secus, poena consentanea est valetudinis detrimentum.

Imo quaerere velim an non etiam tum mulieri liceat, statim post viri retractionem sese tactibus excitare ad suam seminationem, si vir onanista ante seminationem se retrahat et mulier in tali irritatione sit. Fere eadem est ratio mulieris, quae post seminationem viri. Quum theologi licitum esse dicant, ut mulier in copula cum viro onanista tamen consensum in delectationem ex copula illa praestet, — modo assensum viri *peccato* non praebeat, — inde conficitur, delectationem mulieri etiam in hoc casu non esse vetitam. Curnam etiam hic mulieri hoc ius non concedendum esset, quum per solum viri peccatum ei denegetur? Si *potest* se continere, eo melius; attamen ex rationibus manifestis id difficillimum est.

Quum hoc loco de seminatione mulieris egerim, de industria solam extuli voluptatem. Atque ita pervenimus ad causam tertiam a Liguori allatam. Necessaria ad generationem seminatio feminae prorsus non est, ut factis satis probatis confirmatur hodieque certo constat. Deinde omnino dubitari potest, utrum copula mulieris perfecta *semper* cum aliqua effusione sive seminatione quae dicitur iungatur. Irritatio organorum generationis

in copula atque imprimis in ipsa voluptatis completae exsolutione apud mulierem ex horum organorum membranis pituitosis producit secretum aliquod, quod copia quidem maius, genere autem idem est atque secretum commune. Hoc saltem de vagina constat, et quatenus idem de utero valeat, incertum est. Quodsi maior copia secreti ex utero, id est praecipue ex eius parte vaginali (e cervice) emanat, haec fortasse foecundationem adiuvat, eo quod utpote alkalica, acidi secreti vaginalis naturam mutare valet, et hac ratione ad protrahendam seminis vim vitalem confert; praeterea forte etiam eo, quod effluendo et inter effluendum efficit, ut os uteri a glutinoso illo secreto, quod ei inhaerere solet, purgetur ac facilius semen admittat. Hoc, quod postremum posui, in illis mulieribus fortasse maxime obtinet, quae nondum pepererunt.

Contra autem iure affirmari possit, voluptatem completam foecundationi fortisan etiam magis prodesse quam hypotheticam seminationem. Vehementissima illa partium irritatio, turgor ille internorum generationis organorum, qui in huius voluptatis usu physiologice producitur, in organa ubique musculis penetrata multum sine dubio influit. Quae res, quum nimis intricatae sunt, quam ut hoc loco exponi possint, tum in vivis mulieribus nihil aut fere nihil [1]) ut patet observatae sunt. Id hoc loco dicendum superest, turgorem irritatione excitatum, contractiones partium musculosarum, atque ipsam maiorem epitelii coruscantis actionem fortasse aliquid conferre posse, ut semen certius et citius cum ovulo coniungatur.

Sic igitur etiam hac in re, ut in seminatione *necessitas* ad generationem admitti nequit, tamen concedendum est, adesse vel verisimilem esse utilitatem aliquam, atque hoc mihi quidem videtur favere illi sententiae, quod, si vir se retrahat post seminis effusionem, mulier statim tactibus sese excitare possit, ut „seminet."

---

[1]) Observationes huius vel similis generis usque ad tentamina artificialis foecundationis in mulieribus humanis, quae Americano quidam Dr. I. Marion Sims, et huic fere soli instituere placuit, non facile tali ratione continuandas esse iudico, ut ad certam decisionem de his rebus, quae adhuc sapientiam humanam latent, consequendam inservire possint.

Ad sententiam Liguori supra laudatam: „Si hoc permitteretur uxoribus, deberet permitti etiam viris casu, quo mulier post suam seminationem se retraheret et vir maneret irritatus," hoc loco ad omnem errorem vitandum addam, hanc conclusionem mihi non veram videri. Sunt rationes utrimque prorsus impares. Ibi, post viri seminationem, pars copulae ad generationem per se necessaria, scilicet seminatio viri intra vas feminale, perfecta est et ex causis allatis mulieri permittitur, levamen necessarium ad *complementum* actus perfecti addere, quod tamen ad generationem non est necessarium. Hic contra sola „seminatio" feminae facta est, quae per se ad generationem non est necessaria et quae, nisi cum actu ad generationem apto coniungitur, non permittitur; pars necessario per se requisita, seminatio viri intra vas, per actionem mulieris impeditur. Ita actus ipse licitus esse desinit, et omnia, quae deinde ad procreandam seminationem viri praeterea fiunt (excepta tamen repetita introductione in vas), pro complemento actus haberi nequeunt, quum neque actus completus sit, neque eius complementum intendatur. Ergo excitatio ista viri ad seminationem vera esset masturbatio. Contra hic certum est, feminam peccare, si viri seminationem non expectet. Femina enim aut mente onanistica ita agit, aut pessimo egoismo ducta virum ad grave periculum peccandi perducit.

3. Tertius modus abruptionis copulae ante seminationem obtinet, si *vir* copulam abrumpit, postquam in muliere „seminatio"[1]) est perfecta, sed a viro emissio seminis nondum facta est. Numquid hoc licet?

Liguori (lib. VI. 918 alinea 2) dicit: „Si vero femina iam seminaverit, vel sit in probabili periculo seminandi, *non potest* quidem vir data opera a seminatione se retrahere *sine gravi culpa;* quia tunc ipse est causa, ut semen uxoris prodigatur, communiter dicunt (auctores nonnulli). Hoc tamen non erit ita intrinsece malum, ut aliquo casu permitti non possit, puta si vir desisteret a copula ob periculum mortis, vel scandaii aliorum".

---

[1]) Hanc vocem etiam in muliere retinebo, quamvis eam ita intellectam velim, ut non emissionem seminis muliebris, sed voluptatis solutionem intelligam.

Equidem hoc loco additum velim, non ipsum periculum mortis vel scendali esse necessarium. Etiam magna viri fatigatio, secluso pollutionis periculo, causa sufficiens puto iudicanda est. Sub eadem conditione nimia feminae fatigatio debet sufficere, ut vir licite id faciat. Denique id quoque accidere potest, ut copula, quae petente uxore incipiebatur, in uxore quidem seminationem adducat, viro autem persuasum sit, apud se etiam copula longius producta effusionem seminis aut omnino non, aut valde improbabiliter secuturam esse. Tum vero nemo, ne sub levi quidem, virum obligabit ad copulam continuandam. Ut denique appareat, quam parvae res praeterea hanc actionem iuste excusare videantur, hanc propono quaestionem: Si post feminae seminationem vir spasmo corripiatur, v. g. in crure vel in pede, id quod etiam seclusa copula frequentissime accidit, numquid etiam tum nihilominus ad copulam continuandam cogetur?

4. Quarto denique loco oritur quaestio: An peccant mortaliter coniuges, si incepta copula cohibeant seminationem? hoc est, si copulam abrumpant etiam antequam in alterutro seminatio facta fuerit.

Certissimum hoc est: Si alter se retrahit sine alterius consensu, certe graviter peccat.

„Si vero," inquid Liguori (lib. VI. 918) „coniuges ambo in hoc consentiunt, nec adsit periculum seminandi extra vas, id per se loquendo non est mortale; illa enim penetratio vasis feminei tunc reputatur instar tactus verendorum, qui inter coniuges permittitur, vel saltam non est mortalis, secluso periculo pollutionis; ita communiter . . . Dixi 1. si ambo consentiunt, nam. . . . Dixi 2. Per se loquendo, nam sapienter advertit Sanch. l. c. cum Veracrux, id ordinarie esse mortale, quia ordinarie adest periculum ex tali retractione effundendi semen, nisi coniuges experti sint oppositum: quo casu tamen puto, nullo modo posse eos excusari saltem a veniali, quidquid dicat Sanch. ibid cum aliis.

Ballerini, qui (Gury l. c. tom. II. pag. 911, Nota b.) profitetur, se ipsum *non grave* peccatum in hac re invenire, defendit etiam sententiam, quam (ibidem) secundum Diana affert:

„Communiter, cessante in utroque coniuge pollutionis periculo, non peccare maritum mortaliter, si coeptam copulam ante seminationem abrumpat, ne proles generetur, modo id faciat uxore consentiente, aut non rationabiliter invita. Immo si iusta causa adsit impediendi seminationem, v. gr. ob paupertatem ac multitudinem prolis et nihilomines concubandi ad sedandam concupiscentiam, *omnem culpam deesse,* si mutuus consensus accedat. . . . . Unde non erunt damnandi etiam de culpa veniali coniuges infirmi, qui ad sedandam concupiscentiam inciperent copulam, et voluntarie illam minime perficerent; et hic casus frequenter potest accidere.“ Porro sententiam secundum Liguori (Lib. IV. 834) citat, quae sat communis esse dicitur, „quae (opinio) hos actus excusat ab omni culpa etiam in petente, si pollutio non intenditur, nec adsit periculum consensus in eam et modo . . . . adsit gravis aliqua causa, v. gr. ad fovendum mutuum amorem aut ad avertendam alterius zelotypiam.“

Hic mihi praemittendum est, Ballerini non satis accurate hunc locum citasse et, praeter alia, quae minoris sunt momenti, unam sententiam, meo quidem iudicio gravissimam, in extremo Liguori loco omisisse. Loco punctillorum inter voces: „modo . . . . adsit,“ apud Liguori l. c. legitur: „(et modo) tactus non sit adeo turpis, ut iudicetur inchoata pollutio, prout esset, digitum morose admovere intra vas femineum; ac praeterea (adsit etc. ut supra). Quoniam ex his iudicatur inchoata pollutio, si morosa introductio digiti fiat, nonne multo magis est inchoata pollutio, quum loco introductionis digiti ponitur introductio penis? Id sane manifestum est, inde irritationem utrimque tanto magis augeri et periculum pollutionis post retractionem tanto propius accedere. Ergo hic locus ex Liguori afferre non potest, quo probetur, interruptionem coeptae copulae licitam esse.

Equidem illam sententiam probare nulla ratione possum, quae censet eiusmodi abruptionem copulae, in conditionibus supra dictis et ex causis allatis licitam esse. Quicumque generationem prolis ex copula sperandam non intendit, is ut ego existimo, etiam a copula abstinere debet. Quid, quaeso, per copulam incompletam intendi potest? Finis proximus copulae

ac proprius excluditur; ergo solum ad fovendum mutuum amorem, ad avertendam alterius zelotypiam (!), ad sedandam concupiscentiam exerceri potest. — Ad fovendum mutuum amorem alia sunt media, oscula, amplexiones, tactus minus turpes, quae idonea sunt et sufficiunt atque adeo inter coniuges etiam tum sunt licita, quum forte aliquando pollutionem non intentam adducunt. Altera causa, nimirum ad avertendam alterius zelotypiam, ad idem genus pertinet, neque aliud est quam negatio prioris. Illud igitur semper praecipuum erit, quod postremum ponitur: ad sedandam concupiscentiam. Sed etiam ad hunc finem obtinendum tactus impudici inter coniuges ita tantummodo pro licitis haberi possunt, si non per se, suapte natura proximum pollutionis periculum adducunt, sive ut Liguori loquitur, instar inchoatae pollutionis iudicari debent. Porro qua ratione ad sedandam concupiscentiam inservire actio potest, quae per se accommodata est ad concupiscentiam augendam? Haec aperte inter se vehementissime repugnant. Quodsi etiam concedam, consensum in pollutionem non adesse, aderit tamen semper proximum periculum pollutionis. Iamvero et Liguori et Diana postulant, ut in *utroque* coniuge hoc periculum non inveniatur. Simulatque concupiscentia adest, quae ad copulam excitat, certe coepta copula periculum proximum secum fert. Sin autem per coeptam copulam adeo neque concupiscentia augetur neque delectatio excitatur, ut inde aliquod pollutionis periculum oriatur, certo etiam constat, non tam validam fuisse concupiscentiam, quin facillime vinci potuerit. Sed etiam infirmis coniugibus quomodo id licitum esse possit, plane non video. Qui si adeo imbecilles et infirmi sunt, ut copulam magnum sibi damnum afferre arbitrentur, ab ea se continere debent; sin autem timent, ne forte copulam non perficere valeant, iudicandi sunt veluti senes. (Vide infra: de impotentia.)

Quid? quum constet, copulam propter solam voluptatem esse illicitam, hoc est, *perfectam* copulam *solius* voluptatis causa (ad sedandam concupiscentiam) et aperte *seclusa* generationis intentione secundum communem theologorum sententiam esse peccatum *saltem* veniale; quid? nonne hac in re, quum

etiam *sola* voluptas quaeratur, intentio autem generationis *aperte* sit seclusa, *etiam peccatum* inesse iudicari debet? Nonne hoc peccatum saltem plerumque grave iudicandum erit propter summum periculum pollutionis? Mihi quidem in praxi nihil videtur adesse posse, cur eiusmodi actio excusetur. Gravissima esset excusatio, si constaret, mulierem graviditate magnum vitae periculum subituram esse. At in hoc etiam casu omnia defendo, quae supra in universum exposui. Tristissima profecto haec res esset, sed nihilominus cum suis sequelis ab homine christiano patienter tolerari debet.[1]) Neque enim vel ad ipsum vitae periculum evitandum licet venialiter peccare; multo minus igitur licebit, tam immediato ac proximo graviter peccandi periculo se exponere.

Haec vero tota quaestio re aliqua mutari potest, quam a theologis commemoratam non invenio. Nam manifesto non est idem, utrum 1. *ante inceptam* copulam qualibet ex ratione adsit intentio copulam incipiendi et ante seminationem utriusque coniugis abrumpendi, ne proles generetur, an 2. copula sine praevia eam interrumpendi intentione incepta sit ac deinde, ante seminationem, si ambo consentiant, aliquam ob causam interrumpatur.

In hac dissertatione hucusque prius illud supposuimus, atque ego semper et ubique illicitum esse censeo.

Alterum autem plane diversum est. Tum enim copula rite incepta est; quamquam etiam fortasse non aperte generatio ut finis ultimus in mente habetur, id quod secundum plerosque theologos non requiritur, ipsa tamen non aperte excluditur. In hac conditione generatio tamen implicite ut finis ultimus proponitur et copula sine dubio licita est, etiamsi finis eo temporis puncto propositus esset ipsa voluptas. Quodsi iam ante seminationem utriusque (vel etiam ante seminationem viri) coniuges conveniunt, ut rationabilem ob causam copulam abrumpant,

---

[1]) Ceterum hic casus inter illos recensendus esset, in quibus modum vitae coniugalis supra pag. 134 sq. propositum commendandum esse existimo.

nihil aliud requiritur, quam ut alteram etiam conditionem impleant, quae est, ne periculum pollutionis adsit. Haec conditio, quae in priori casu difficillime aut nullo modo impleri potest, quia nemo ante coeptam copulam cognoscere potest, utrum et quam cito in periculum pollutionis incidat, haec inquam conditio in altero casu optime impleri potest. Nam tum, quum coniuges consentiunt, ut copulam abrumpant, satis iudicare possunt, utrum in periculo pollutionis versentur. Si id periculum adesset, secundum sententiam communem interruptio copulae peccatum grave esset; sin autem periculum pollutionis abesset, tum illud peccatum nullum, ne veniale quidem, esse dicerem.

Fortasse auctores, qui interruptionem ante seminationem nullum peccatum aut veniale esse dicunt, ita rem considerabant neque hoc discrimen, quod ego necessarium esse puto, aperte indicarunt.

Ceterum in praxi prior (illicitus) casus frequentior accidet, quam posterior.

Ad hanc materiam integre perficiendam, ultimo loco sermo sit:

3. De situ coniugum in copula.

Omnis situs etiamsi innaturalis in copula (vel stando vel sedendo, vel more pecudum vel a latere, vel viro succumbente) per se non excedit culpam venialem, dummodo actus coniugalis satis perfici possit. — „Mutatio situs generationem non impedit, cum semen viri non recipiatur in matricem mulieris per infusionem, seu descensum, sed per attractionem, dum matrix ex se naturaliter virile semen attrahat.“ (Lig. Lib. VI. 917.) „Et ideo nullum etiam erit peccatum, si modus naturalis mutetur ob aliquam iustam causam, v. g. aegritudinis, periculi abortus, scandali, difficultatis etc., ut ait Concinna.“ (Scavini tom. IV. 574.) Gury (l. c. tom. II. pag. 902) resolvit: 1. Minime peccant coniuges, qui situm invertunt ob periculum abortus tempore praegnationis, ob viri pinguitudinem vel curvitatem, ob nimiam mulieris

defatigationem, aut etiam ob frigiditatem, quando innaturali situ magis excitentur, etc. 2. Situs, qui solus possibilis est, qualiscunque demum sit, nullatenus damnatur, licet non modica seminis perditio sequatur; quia pars ista non est generationi necessaria, et per accidens, invitis coniugibus, deperditur."

Dummodo actus coniugalis satis perfici possit, hoc est, dummodo introductio in vas et emissio seminis in vas fieri possit. Infusio in vaginam plane est sufficiens. Ex causis anatomicis rarissime directa infusio in uterum locum habebit, descensus (secundum legem gravitatis) nunquam fiet. Receptio seminis in uterum partim motibus musculorum et epitelii coruscantis membranae pituitosae, partim certe motibus, qui insunt in ipsis spermatozois, efficitur. Quare, ut semen introducatur in uterum, situs in copula nullius est momenti. Partialis seminis perditio post infusionem in vas in aliquibus sitibus sane accidere potest, attamen non ita, ut inde conceptio impediatur. Constat enim, ad generationem minimum seminis satis esse. De causis iustis, quas Gury affert, nihil habeo, quod addam.

4. De tempore et circumstantiis copulae.

a. De tempore menstruationis.

Plerique theologi copulam tempore menstruationis habitam per se esse iudicant peccatum veniale ob indecentiam, quam prae se ferre videtur; licitam autem, si accedit aliqua causa cohonestans v. gr. si habetur ad vitanda dissidia, ad incontinentiam praecavendam etc. Indecentia certe sat magna est, ita ut generatim dici possit, concupiscentiam tamdiu esse compescendam. Sed de gustibus non est disputandum. Neque vero, quantum intelligo, res sine iactura valetudinis transibit. Quae iactura viro quidem levis et plerumque fere nulla erit. Leprositas vel monstrositas, quae ab antiquis foetui sperando timebatur, inter fabulas reiicienda est. Quin imo imbecillitas prolis hac in conditione generatae cum ratione timeri non potest. Alia tamen quaestio

est, annon mulieris genitalia, quae hoc tempore iam in congestione versantur, irritatione copulae iacturam faciant. Id fieri posse, a priori constat. Congestiones uteri diuturniores hinc oriri possunt, quae deinde periculum aliquod abortus secum afferant. Sed etiam graviora et diuturna mala organorum generationis eiusmodi congestionibus adducuntur. Quare, si coniuges de hoc gravi mulieris incommodo admoneantur, forte facilius ab hac utique turpissima copula arceri poterunt.

E contrario esse potest aliquando, ut coniux sterilis, si copulam habeat inter menstruationem, inde gravidetur. Quare si alia causa sterilitatis non reperiatur, non solum concedendum, sed ex iudicio medici etiam suadendum est, ut inter menstruationem periculum copulae faciant, cum aliis temporibus coniux partum non concipiat.

Theologi in hac quaestione distingunt inter menstruationem propriam et inter longiorem, saepe longissimum fluxum extraordinarium. In hoc posteriori ex communiori sententia copula licita est „tum [1]) propter infirmitatem, quia mulier in tali statu concipere non potest; tum quia talis fluxus est perpetuus et diuturnus, unde oportet, quod vir perpetuo abstineret.

Prior causa ex arte medica nihil momenti affert ad ea, quae de ordinaria menstruatione dicta sunt. Incommodum directum non est timendum proli forte generandae; nam solum indirecte ex uteri infirmitate detrimentum accipere posset. Altera causa in rem convenit, attamen mulieris genitalibus copula in his adiunctis noceat. Nam fluxus extraordinarius tum solum locum habet, si generationis organa ex aliqua infirmitate laborant. Unde a priori exspectandum est, fore ut irritatio ex copula saltem probabiliter maiorem morbi vehementiam adducat. Atque est ita in aliquibus horum morborum, quorum accuratior descriptio non est huius loci. Id si accidat, certe necessarium est, de permittenda copula medicum consulere. Medico autem invito copulam habere certe veniale, aliquoties fortasse mortale peccatum esse potest.

---

[1]) Liguor. lib. VI. 925.

b. De tempore purgationis puerperalis.

Eadem hic valent, quae de fluxu extraordinario. Plerique theologi copulam hoc tempore licitam iudicant, nisi ex concubitu gravis morbus vel notabilis aggravatio morbi immineat, ut si accessus haberetur ipso die partus, vel die subsequenti. Viro detrimentum non est timendum; neque magis proli forte generandae, quoniam hoc tempore conceptio non fit. Ut illud praetermittam, hanc indecentiam multo etiam maiorem esse, quam in menstruatione, mihi sane copula saltem in primis hebdomadis habita bestialis quaedam crudelitas in puerperam videtur. Mulier gravissima vitae actione vix peracta, physiologicos quidem sed vehementissimos dolores in ipsis genitalibus pertulit et vel robusta puerpera adeo fatigatam ac dibilitatam se sentit, ut vere bestialis quaedam concupiscentia in viro insit, si in hac conditione copulam velit petere. Uxor certe in primis hebdomadis copulam non petet, nisi morbosa quaedam affectio (nymphomania puerperalis) eam impellat. Sed si hoc ipsum non sufficeret, ut res illicita probaretur, tamen maiori cum diligentia, quam hactenus factum est, considerari debet, annon ex copula in puerperio habita grave damnum mulieri oriatur. Atque haec quidem quaestio positive affirmanda est. Periculum eo maius erit, quo celerius copula partum sequetur. Puerperium multas res secum fert, quae quolibet alio tempore morbosae dicendae essent, quamquam hic physiologicae sunt. Reductio et restitutio uteri adeo dilatati fortiorem organismi actionem postulat, imo ex recentiorum observationibus fere integra resorptio et reconstructio uteri locum habet. Res, quae hoc tempore in organis generationis aguntur, immutationes et violationes graviditate productae, iam disponunt per se ad varios morbos: ad sanguinis profluvia, inflammationes, positiones uteri aberrantes. Quare in directa locali irritatione, qualem copula secum fert, atque etiam in universa commotione per copulam excitata aliquid periculosum et damnosum esse, nemo non fatetur. Hoc autem damnum, ut patet, eo perniciosius erit, quo partui propius. Vehementissimus

autem rerum quas dixi impetus est in primis duabus hebdomadis. Praeterea eodem tempore mulier maxime ex virium debilitatione patitur. Exacto hoc tempore periculum minuitur; nihilominus sane experientia satis probat, quamlibet rem noxiam tamdiu pessimos effectus producere posse, quamdiu organa generationis nondum rite restituta sunt. Sed perfecta uteri restitutio demum post 6 fere hebdomadas absolvitur. [1]) Eodem fere tempore menstruatio denuo recurrit (si uberibus suis prolem femina non alit; in feminis lactantibus plerumque per longius tempus retardatur) et ipse organismus indicat, omnia ad novam generationem parata esse.

Ex his rationibus copulam in primis duabus hebdomadis post partum plane vetitam existimo, quum feminae gravissimum damnum afferre aptissima sit. Imo intra quatuor hebdomadas sequentes eam sine conditione licitam esse non puto. Sed quum periculum hoc tempore non iam tantum sit, theologi decernant, quaenam causae sufficiant ad hoc periculum gravis damni, quod mulieri afferatur, compensandum, quod semper utique exstat, quamvis non ita magnum sit.

c. De tempore lactationis.

„Tempore lactationis coniugio uti licere communissime (auctores) affirmant: tum quia periculum inficiendi lac, et sic nocendi proli rarum est; tum quia lex nulla id vetat.“ (Scavini l. c. tom IV. 573.)

Periculum inficiendi lac hodie iam non admittitur, quatenus corruptionem lactis putant directe per cohabitationem effici. Aliud est, utrum lac, quod plerumque incipiente nova graviditate mox diluitur ac deminuitur, tam graviter proli lactenti noceat, ut

---

[1]) Schroeder (l. c. pag. 208) dicit, uterum statim post partum pondus habere duarum librarum (1 kilogramma), post septem dies unius librae, post quatuordecim dies $^3/_4$ librae (qua in re tamen inconstantia non parva inveniatur), post sex denique hebdomadas ad magnitudinem normalem, quantum fieri possit, reductum esse.

propterea copula tempore lactationis vetita videatur. Imo lac plerumque brevi desinet et artificialis prolis nutritio necessaria erit, quae minus tuta est, quam nutritio lacte materno facta. Sunt theologi, qui tempore lactationis copulam vetent (qua in re id saltem supponere debent, feminam expertam scire, se tempore lactationis concipere, id quod vulgo non accidit), „quia non licet sibi consulere cum damno innocentis“ (cf. Liguori lib. VI. 911). Nihilominus equidem Sanchez sequor, qui ut Liguori (ibidem) refert, hoc tempore copulam licitam iudicat, „quod tunc vel alia via ipse (pater seu mater) poterit proli consulere, vel erit iusta causa, ipsam (prolem) periculo exponendi, ne tamdiu coniuges cogantur abstinere cum tanta difficultate.“

d. De tempore praegnationis.

Communiter sentiunt theologi, tempore praegnationis copulam tum saltem grave peccatum non esse, quum periculum abortus non secum fert. Permulti auctores secluso abortus periculo ne veniale quidem peccatum iudicant. Liguori quidem ita habet (l. c. 924): „Caeterum mihi arridet sententia, quod coitus cum praegnante non posset excusari a culpa veniali, nisi adsit periculum incontinentiae vel alia honesta causa.“ Sed tamen Gury iure optimo, ut mihi quidem videtur, hic addit (l. c. tom. II. pag. 906): „quae (honesta causa) vix alioquin unquam abesse potest.“

Ergo solum agitur de periculo abortus. Atque generatim dicendum est, copulam tum solum posse efficere abortum et quidem indirecte, per irritationem et hyperaemiam uteri, quum aut saepius aut impetuosius instituitur. Atque etiam tum periculum esset gravius tantum intra primos praegnationis menses. In organis ceteroquin sanis eiusmodi hyperaemia facillime in primis post conceptionem diebus ovuli separationem efficit. Fieri quidem potest, ut hoc praegnationis tempore plurima ovula ac fortasse per ipsam copulam pereant; quae quum vulgo hic facile et sine extraordinario sanguinis fluxu removeantur, certe saepissime non advertuntur. Sed ipso hoc tempore copula minime

vetari potest, quoniam tum de incipiente praegnatione nemo quidquam sciat, saltem nihil certi. Quo longius copula a die conceptionis distat, eo minus abortus organis bene valentibus per copulam timendus est. Abortus, qui sane plurimum fieri solet, generatim multo rarius per directam quandam causam [1]) externam producitur, quam potius e morbosis affectionibus et morte ovuli

[1]) Nisi forte mulier praegnans nulla sui status ratione habita se gereret. Omnes motus et actiones, quae aut vehementiores corporis concussiones efficiunt, aut validiorem contractionem musculorum abdominis secum habent, praegnanti sunt vitanda. Ad prius genus pertinent atque meo iudicio praegnanti prorsus illicita sunt: salire, saltare (i. e. saltare in orbem; saltationes figuratae, chorcae quaternariae (quadrilles) hodie tantum eundo perficiuntur et noxiae non sunt), equitare. Etiam quam maxime cavendum, ne curru vehantur per plateas male stratas vel vias asperas. Ipsae vectiones in via ferrea continuis concussionibus non raro occasionem abortus praebent, quare longiora itinera in via ferrea sine necessitate suscipienda non sunt. Huc etiam pertinet usus machinarum ad suendum, quae pedibus moventur. A pedibus enim huius machinae concussio in ipsam alvum proxime et maxime transfertur atque saepe, ut expertus cognovi, abortum producit. Quoties igitur ut vitam sustentandam non plane necessarium est, ne femina gravida utatur machina pede movenda. Longe praestat machina, quae manu movetur, quae quamvis non tantum, quantum altera perficiat, tamen ab his et aliis sequelis noxiis libera est.

Si gravia onera tolluntur, si quae res in altum porrigitur, vel e loco excelso depromitur, musculi abdominis vehementer contrahuntur graviterque alvum pressant. Mulier gravida, quae eiusmodi labores susciperet, graviter obiurganda esset; quodsi eadem, quamvis satis edocta esset de rebus, quae inde oriri possunt, nihilominus pergeret, meo certe iudicio graviter peccaret. — Etiam voluntaria pressio musculis abdominis peracta, quum non raro cum graviditate constipatio alvi coniuncta sit, aliquoties male evenit ac propterea quam maxime vitanda est. Clysmata ex sola aqua, remedia diaetetica et purgantia plane innoxia: poma cocta et non cocta, lac ebutyratum vel oleum Ricini, pulvis pectoralis (Pulvis Liquiritiae compositus), Magnesia etc. hic adhibenda sunt; contra vero omnes monitas etiam atque etiam volo, ut caveant famosas istas „pilulas laxantes sive purgantes“ cuiuslibet generis, quae fere semper Aloëm continent et praegnantibus vetandae sunt.

Excessus in potando liquore spirituoso, qui numquam non male eveniunt, foetum in primis mensibus occidere possunt, quare severe interdicendi sunt.

Sanguinis missio abortum adducere potest. Quare mulier gravida sine speciali medici praecepto permittere non debet, ut vena sibi incidatur ad sanguinem mittendum.

aut e morbosa conditione uteri aut totius corporis gravidae provenit. Nimia sanguinis abundantia aut eiusdem defectus, chlorosis, febrium acutarum varia genera, inflammationes et chronica sanguinis redundantia in utero vel ex localibus vel ex universalibus perturbationibus orta: haec omnia apta sunt efficere, ut mulier ad abortus disposita sit. Imo negari non potest, adesse abortus dispositionem, cuius causa evidenter cognosci non potest et quae in vehementiori atque morbosa irritabilitate feminae ceteroquin sanae reponenda est. Qua in abortus dispositione ex qualibet causa exorta saepe minima occasio sufficit abortum efficiendi, ita ut res, quae sine illa dispositione nihil mali in graviditate efficerent, iam malum exitum adducant. Vehementiores animi commotiones, terrores, laetitiae, excitationes sensuales, liquoris spirituosi usus vel modicissimus; balnea vel pedum vel corporis in aqua calida, maior pedum lapsus, casus forte non adeo vehemens, vectio in curru et via ferrea, modici oneris allevatio etc. etc., ipsa denique copula tum abortum efficere possunt.

Magna abortuum frequentia[1]) demonstrat, id quod etiam medicorum experientia edocet, hanc morbosam abortus dispositionem praesertim inter homines oppidanos saepissime inveniri. Ubicunque haec dispositio adest, copula non quidem semper abortum efficiet, periculum autem abortus negari non potest, praesertim si copula frequentius et impetuosius habeatur. Qua in re illud non negligendum est, scilicet talem dispositionem non semper cognosci. Cognoscitur tum solum, quum medicus iudicaverit morbosam adesse conditionem, quae communiter feminam sic disponat, vel quum femina *saepius* abortum fecerit sine ulla occasione nota atque externa, quae maioris momenti sit. Quodsi hanc dispositionem adesse una alterave ratione demonstratum sit, equidem copulam velim dicere illicitam, quum probabilius vel verisimilius sit, periculum abortus adesse. Nihilominus tamen pro peccato veniali tantum habendam esse puto, quoniam

---

[1]) Schroeder (l. c. pag. 427) refert et confirmat sententiam Hegar, qui dicit inter 8—10 partus, qui post graviditatem rite exactam fiunt, unum abortum primorum mensium numerandum esse.

periculum non tantum est, ut gravibus rationibus v. gr. periculo incontinentiae, non compensari videatur. Huiusmodi autem coniugibus semper severe commendandum est, ut ad numerum et modum copulae quod spectat, sibi temperent.

e. De tempore morbi.

Hoc loco aperte distinguendum est inter morbos *contagiosos* et *non contagiosos*.

Ex morbis *contagiosis* ante omnes profero Syphilim, morbum gallicum quem vocant theologi. Hic enim propter sequelas inter omnes morbos singularis est.

Syphilis est morbus adeo gravis, horrendus atque infamis, ut meo quidem iudicio copula semper interdicenda sit, etiamsi tantum *alter* coniugum ea laboret. In hoc morbo periculum per copulam alterum bene valentem coniugem inficiendi evitari fere nequit, saltem quamdiu externa morbi signa adsunt. Sed in latenti quoque (quando non videntur signa externa) syphili mariti accidere potest, ut mulier, ubi primum gravidetur, morbo inficiatur. Tum infirma pars si copulam peteret, atroci conatu adoriretur alterius partis sanitatem; sana autem pars, si vellet tali morbo tanta cum probabilitate inficiendam se exponere, iam non caritate moveretur, sed meo iudicio insania capta esset. Hac in re ne periculum incontinentiae quidem causam esse honestantem existimo. Severius id videatur; sed quicunque vidit et quotidie videt, quas sequelas horrendissimas hic morbus secum habeat, is mihi assentietur. Atque idem ego existimo, ne *unum* quidem inveniri medicum, qui meam sententiam reiiciat.

Accedit etiam, quod in prole, quae ex tali copula nascitur, sequelae perniciosissimae sunt. Infantes sunt syphilitici sicut parentes, saltem plerumque etiam tum, cum latet parentum syphilis; abortus frequentissimus erit, vel immaturus editur infans, vel ipsi partus maturi primis vitae mensibus miserrime pereunt. Sexcenti infantes hoc modo et saepius ne baptizati quidem parentum peccata luunt.

Aliorum morborum contagiosorum alia est ratio. Theologi ubi de obligatione ad debitum reddendum agunt, distinguunt inter eos morbos, qui diuturniores sunt sive chronici (inter quos ipsi quidem etiam morbum gallicum enumerant!) et inter eos, qui brevi mortem afferre apti sunt.

In priori morborum genere sentiunt copulam ex iusta causa petitam negari non posse. Iamvero partem infirmam negare non posse copulam facile concedo; at pars firma tum solum videtur negare non posse, si morbus non sit molestissimus nec mortem maturet. Ceterum in praxi fere solum in Phthisi locum habet. Phthisis, quam moralistae fere communiter inter morbos contagiosos numerant, pro praesenti artis medicinae statu certe in contagiosis ponenda est. Oscula enim tuberculosi hominis grave contagionis periculum afferre, certum est. Atque nuper facta quaedam incidisse dicuntur, in quibus contagio in coniugem per copulam transiisse saltem videtur. Atamen hoc periculum non est tantum, ut ex ea causa copula denegari possit. Dixerit forte aliquis phthisin esse morbum hereditarium, proinde prolem quoque verisimiliter phthisicam fore, vel ne fiat in summo periculo versari. Huic respondet S. Thomas (cf. Liguori lib. VI. 951): „quamvis proles gigneretur infirma, tamen melius est ei sic esse, quam penitus non esse.“

In morbis autem contagiosis, qui de brevi et facile mortem inferre apti sunt, certe tum theologi tum medici omnes copulam illicitam iudicant, saltem firmam partem ad copulam reddendam non obligant. Et ne petere quidem licitum esse potest parti firmae, „cum nemo sit dominus suae vitae aut salutis“.

In morbis *non contagiosis* duplex distinctio consideranda erit. Certe enim multum refert, utrum de morbo leviore, non multum debilitante agatur, an de malo multum debilitante cum febri et summo dolore coniuncto. Deinde potest aut ovulo foecundato periculum abortus oriri, aut solos parentes damnum afficere potest.

Quod attinet ad periculum abortus ex copula cum matre aegrota proveniens, ad ea remitto, quae de tempore praegnationis

exposui, illud solum addo, etiam nonnullos morbos acutos, praesertim cum vehementi febri coniunctos facile abortum adducere, ergo dispositionem abortus in iis esse. Morbus patris non contagiosus ad periculum abortus per copulam nihil confert. Iamvero ut ad damnum parentibus inferendum transeamus, manifestum est, morbi non multum debilitantis conditionem non facile per copulam fieri peiorem. Quum igitur grave damnum non timendum sit, hic certe copula licita neque ullo modo deneganda erit. Excipiuntur genitalium aegrotationes, quae imperitis quidem leves apparent, semper tamen gravissimi momenti sunt. Possunt enim praecipue in muliere per copulam protrahi atque augeri. Quum aegrotationes chronicae in organis generationis apud feminam frequentissimae et insuper non facile sanandae sint, in his paulo severius iudicandum erit. Haec mala, quae initio saepe levia, facile curari possunt, ut plurimum (praeter pudorem, quo mulier coram medico afficiatur necesse est) per usum copulae non intermissum graviora fiunt. Atque tum semper adeundus est medicus et consilii dati diligens observatio severe postulanda.

Inter graviores morbos nonnulli sunt, in quibus ex modico copulae usu grave damnum non est timendum. Huc ante omnes referenda est phthisis pulmonum, nisi quod dispositio ad sanguinis exspuitionem et eruptionem, vel gravissima dispnoea adsit. Plerumque sane homines phthisici vehementi concupiscentia agitantur, neque reliquum est, nisi ut moderatio ipsis commendanda sit. Aliquod damnum copula fere semper illis afferet, sed in modico usu non ita grave erit. Huc porro pertinent omnes externi et chirurgici morbi, nisi ex vulnere forte aperto profusio sanguinis irritatione copulae effecta timeatur. Certe in omnibus morbis febriculosis, praesertim in acutis, inflammatoriis morbis organorum alvi (peritonaeitis), cavi thoracis (pneumonia, pleuritis, pericarditis), cavi cranii (meningitis, hyperaemia cerebri); inter morbos chronicos in vitiis cordis, in hydropsia coniuncta cum gravissima dispnoea, et in aliis copula semper utique nociva erit et aliquoties gravissimum damnum, imo praecipitem mortem

inferre poterit.[1]) Tum vero, meo quidem iudicio, non est licitum, copulam petera vel reddere, nisi antea medicus interrogatus sit. Ex huius responso et ipsius rei adiunctis diiudicandum erit, utrum haec copula peccatum veniale an mortale sit. Si v. gr. medicus dixerit, te vel coniugem tuum exponis periculo subitae mortis inter vel statim post copulam, huius interdicti transgressio *non possit non* esse peccatum mortale, ut existimo. Sed hoc decidere theologorum est.

f. De tempore statim post balneum, vel post sectionem venae vel prandium aut coenam.

Haec tempora singillatim commemoranda sunt, quum theologi copulam saltem post balneum et post sectionem venae illicitam iudicent, quoniam tum notabiliter periculosa sit. Id post balneum prorsus infitiari velim, saltem in hominibus ceteroquin sanis. Post sectionem venae aut in eo esset periculum, quod alligatura solvi et nova sanguinis fluxio provocari posset, aut in eo, quod per venae sectionem tantum sanguinis missum esset, ut ex irritatione periculosum animi deliquium sequi posset. Generatim periculum non ita magnum et ipse casus rarissimus erit. Sed frequens, imo et frequentissima ex omnibus quas enumeravimus, est copula post prandium aut coenam. Sed hominibus ceterum sanis verum periculum inde non timendum est.

Paulo aliter res se habet post multam potationem liquorum acriorum. Vix in dubitationem venire potest, proles in ebrietate generatas in periculo versari, ne hebetes vel etiam fatuae vel surdomutae fiant.[2]) Quare iure praescribitur, partem non ebriam non teneri, copulam permittere neque reddere. Theologi quidem

---

[1]) Inter aegrotos meae curae commissos unus, qui per longius tempus vitio cordis laborabat et nihilominus semper gravi negotio praeerat, inter ipsam copulam subito obiit.

[2]) Adversarius est v. Olfers l. c. pag. 69: Sed eius verba me non movent; equidem in mea sententia persisto, acerrimum alcoholi venenum etiam in ovum et semen transire.

huius rei aliam rationem afferunt, quum ebrios amentibus aequiparantes dicant: „Non tenetur reddere, si petens sit amens; quia talis non est capax usus dominii; nec petit cum ratione et humano modo. Quod etiam valet in ebrio.“ (Lig. lib. VI. 948.) „Simpliciter tamen uti petere, ita reddere licet tam ebrio, quam amenti, nisi esset periculum foetus enecandi.“ (Lig. ibid.) Damnum quod ne eveniat foetui timendum est (ceterum hoc etiam in amente timendum), sine dubio aptum est, argumentum a theologis allatum confirmare.

5. De impotentia.

Impotentia est impedimentum dirimens matrimonii, „si sit perpetua (et antecedat), quia matrimonium consistit in mutua traditione potestatis corporis ad copulam coniugalem; hanc autem potestatem impotens non potest tradere, cum eam non habeat.“

„Porro impotentia in viro esse censetur, quando est Eunuchus, vel saltem non potest seminare in vas foeminae: in foemina vero, quando vel seminare non potest (si verum est, semen foeminale requiri ad generationem) vel propter arctitudinem non potest virum pati aut eius semen recipere.“ (Liguori lib. VI. 1095.)

„Non est confundenda cum sterilitate, steriles enim non sunt ad actum coniugalem impotentes: hinc valide contrahunt (sc. matrimonium) senes, qui matrimonium consummare valent; item mulieres, quae possunt semen excipere, etsi illud non retineant.“ (Gury l. c. tom. II. pag. 831.)

1. *Impotentia* igitur *viri* aderit:

a. *Si utrique testiculi desint.* Huc pertinent castrati et cryptorchistae. In his posterioribus testiculi non descenderunt in scrotum, sed in alvo vel in canali inguinali remanserunt. Hoc ubi accidit, plerumque etiam testiculi non delapsi plane exstinguuntur, ita ut impotentia absoluta sit.

b. *Si testiculi sint contusi,* ut theologi loquuntur. Hi testiculi aperte intelliguntur degenerati, unde suo munere fungi non possunt, testiculi atrophici qui vocantur. Haec atrophia

utique ex inflammatione per contusionem provocata oriri, sed etiam per hydrocelen, hernias scrotales, per pressionem tumorum scroti vel ipsius testiculi produci potest. Imo etiam eiusmodi atrophia testiculorum excessibus venereis effici potest. Cum syphilis, tum maxime gonorrhoea eiusque sequelae (testiculorum et viarum seminalium inflammatio) possunt efficere, ut testiculi degenerent et impotentes generandi fiant. Num revera testiculi suo munere fungi nequeant, ab imperitis non facile dignoscitur, sed singuli casus a medicis iudicandi sunt.

c. *Si desit penis.* Hic defectus est rarissimus per vitium conformationis a natura, neque fere invenitur, nisi coniunctus cum aliis genitalium deformitatibus. Potest etiam, ut patet, per operationem, ulcera etc. penis deficere.

d. Si *deminutus sit penis,* res paulo aliter se habet. Simplex exiguitas abnormis rarissime est vitium naturae, saepius morbis, ulceribus penis deminuitur. Quodsi natura male formatus est, saepissime haec deminutio simul cum deformatione ductus urinalis (urethrae) reperitur. Hic canalis non usque ad extremum penem clausus, sed partim apertus est, ita ut urina et semen non in extremo pene, sed in medio pene vel inferiore vel superiore, vel in ipsa penis radice iuxta corpus effundantur (epispadiasis et hypospadiasis). Si maiorem in modum deformatus est, iniectio in vas feminale fieri nequit. Nihilominus certum est, tales viros infantes genuisse, imo aliquoties hypospadiasim in plures generationes transfusam esse observatum est. Tum effusio seminis in introitum vaginae satis fuit, ut foecundatio fieret. Aperte inter fabulas reiicitur foecundatio, quae vel sola aura seminali vel effusione seminis v. gr. in abdominis tegumentum peracta dicitur. Eiusmodi fabulae certe inventae sunt ad rem veram tegendam et creditae sunt partim amore quodam rerum mirabilium, partim ex defectu rectae scientiae physiologicae. Hodie tamen *certum* est, sufficere ad foecundationem, si semen in aliquam partem *membranae pituitariae* [1]) vaginalis effundatur,

[1]) Membranae *pituitariae* inquam, nam haec sola apta est, ducere semen sive spermatozoa.

etsi vel illa huius membranae pars esset, quae sine vera penetratione in vaginam a semine attingi posset. Atque hac ratione foecundatio etiam tum non est impossibilis, quum hymen virginale nondum laceratum est. Quare quum etiam pene deminuto et forte etiam deficiente eiaculatio seminis in os seu introitum vaginae aliquo modo fieri possit, illi qui his deformitatibus laborant, impotentes dicendi non sunt. Hic tamen fieri potest, ut vir quidem ad eiaculationem seminis et sequentem foecundationem aptus sit, ipsa vero copula haberi non possit, ita ut primus ac praecipuus matrimonii et coitus finis impleatur, alter autem finis, voluptas sexualis pro muliere, non impleatur. Qua in re, quum matrimonium solvi non possit, si v. gr. foecundatione semel iam perfecta demonstratum sit, illam fieri posse, hic habemus unum ex illis casibus, ubi mulieri licere debet, statim post copulam sive post viri seminationem se ipsam ad seminationem excitare et quidem propter periculum incontinentiae.

e. Si sit *impotentia ex frigiditate,* „quando coniuges ob hanc causam omnino perficere nequeunt copulam aptam ad generationem“, ex iure canonico causa adest dirimendi matrimonii, experientia triennii peracta. Id fortasse accidet in iis matrimoniis, quae ex quaestu et convenientia incuntur. Praeterea etiam deformitas ante matrimonium occulta, vel morbus fastidiosus, qui idem demum post matrimonium initum manifestabatur, causa esse potest, cur abominatio viri erga mulierem tanta sit, ut excitatio ad copulam requisita adesse nequeat. Quae deformitas si superari non potest, certe ecclesia pie et iuste facit, ut huiusmodi coniuges miseros separet. Ad *caliditatem superfluam,* ob quam vir semper seminet extra vas, antequam possit penetrare, postulant theologi etiam experientiam triennii. Quod tempus utique semper sufficiet ad hanc caliditatem superfluam tollendam. Seminatio ante penetrationem rarius a superflua caliditate proficiscetur, multo saepius ex quadam infirmitate orietur. Mihi quidem videtur in postulanda experientia triennii hoc posterius ob oculos versatum esse, quum vera caliditas superflua malum sit, quod *citissime* auferatur neque impedimentum dirimens matrimonii dici possit; est enim saltem aliquatenus frequentissimum, sed

tam cito abit, quam crebro occurrit. Infirmitates, quae seminationem ante penetrationem efficiunt, aptissimam exhibent rationem ad postulandam experientiam triennii. Nam quum partim in depressione animi positae sint, partim in nimia irritabilitate locali organorum generationis, quae fortasse excessibus adducta est, spes est fore ut, quum usu vitae coniugalis infirmitas mitigetur et apta curatio accesserit, etiam hoc malum levetur.

2. *Impotentia mulieris* aderit in totali defectu vaginae, aut in eiusdem totali vel partiali (praesertim in ipso introitu) coarctatione tam angusta, ut penetratio in vas impossibilis sit neque mulier ad copulam apta fieri possit, nisi per operationem coniunctam cum periculo vitae vel morbi gravissimi.

Vagina interdum a natura deest, ita ut aliquando etiam ceterae partes genitales deformatae, aliquando reliquae recte formatae sint. Posterius si obtinet, aetas pubertatis plerumque non multum superabitur; si prius locum habet, nullam prorsus facultatem generandi adesse intelligitur.

Et coarctatio et clausura vel partialis vel totalis vaginae tum a natura invenitur, tum ulceribus, inflammationibus postea oriri potest. Totalis vaginae clausura in organis generationis ceterum recte ad agendum instructis corrigenda est, ne in periculum vitae femina incidat. Quamdiu vagina clausa est, tum solum de copula sermo esse potest, si ad interiorem partem versus uterum clausa esset, ita ut penetratio in partem vaginae (usque ad clausuram) fieri posset. (Hac de re confer ea, quae infra de defectu uteri dicentur.)

Coarctatio vel ad totam vaginam vel ad eius partem extenditur. Copula haberi nequit, si tota vagina vel eius introitus multum coarctatus est. Hic tamen ex rationibus supra allatis foecundatio non absolute impeditur, ut casus non adeo rari probant, in quibus hae summae coarctationes inter partum operationem postulabant. Potest quippe foecunda viri seminatio etiam sine penetratione fieri. Ceterum multae eiusmodi coarctationes, praesertim quae ad breviores partes (etiam ad introitum) vaginae pertinent, sine periculo dilatari per operationem possunt. Non paucae vel ipso continuo copulae tentamine tolluntur. Quare,

antequam solvatur matrimonium, certe necessarium erit, ut periti cuiusdam testimonium afferatur, utrum coarctatio sine periculo auferri possit nec ne. Genus quoddam coarctationis, quo copula *plane impeditur,* est v. gr. vaginismus sic dictus, sive spasmatica contractio musculi constrictoris introitus vaginae, quae locum habet, quoties tentamen copulae instituitur atque vel ipse introitus vaginae tangitur. Sed hic status sine periculo removetur.

Hic iam oritur quaestio, utrum mulier operationem molestam et dolorosam, sed minime cum periculo vitae coniunctam subire *debeat,* ut apta fiat ad copulam. Liguori (lib. VI, 1099) affirmat, „quia ad id videtur mulier obligari vi contractus, cum id necessarium sit ad servandum ius copulae, quod in virum transtulit.“ Deinde pergit: „Haec quidem sententia est communior, et probabilior videtur speculative loquendo; sed practice loquendo valde probabilis est, quod ait Cont. Tourn. loc. cit. cum Pontas, nempe quod si incisio non posset fieri nisi per manus chirurgi, non tenetur mulier hanc incisionem pati cum tanta verecundia, quod esset onus plus quam gravissimum; si enim puella non tenetur nec etiam ad servandam sibi vitam in aliquo morbo verecundo chirurgi manum pati (iuxta dicta lib. IV. 372.), quomodo ad id tenebitur, ut ad usum coniugii aptam se reddat? Quid enim turpius (ait Collet. ibid.), quam ut virgo nuda oculis et manibus chirurgi subiiciatur, et incisionem foedam simul ac gravem pati cogatur.“

Ante matrimonium initum de eiusmodi obligatione, ut patet, sermo esse nequit. Inito autem matrimonio (secluso utique mortis periculo) verecundia sola non sufficere videtur, cur operatio non admittatur. *Virginem* etiam ad vitam sibi servandam non esse obligatam, ut verecundiam posthabeat, equidem certe concedo; sed hic paulo aliter res est, quum de iure tertii agatur. Nam si vis contractus (secluso mortis periculo aut gravi corporali periculo), ut Liguori (l. c.) ipse dicit, mulierem obligat, „cum gravi molestia et dolore reddere se aptam ad copulam“, qua ratione verecundia sola sufficiat, eam ab hac obligatione erga virum, quocum iustum contractum iniit, liberare?

Alia mulieris impotentia, quam theologi, ut video, non commemorant et quam probabiliter ad sterilitatem referrent, consistit in *defectu uteri,* sive clausura absoluta vaginae prope uterum, quaemadmodum supra dixi. Potest hic quidem copula perfecte fieri, quamvis de *absoluta* impossibilitate conceptionis constet. Etiam Eunuchus aliquoties copulam perficere potest cum completa utriusque partis voluptate venerea. Qua in copula nullum semen eiaculatur (sed solummodo pituita prostatae etc.); unde haec copula natura sua ad generandum inepta est. In defectu uteri copula quidem ex parte viri, minime tamen ex parte mulieris natura sua ad generationem apta est. Quodsi ergo hic defectus notus esset, copula certe quoad generationem suo fine careret. Respondebit quispiam, hoc fieri per accidens ac prorsus idem accidere, quod in tempore gestationis. Sed id discriminis intercedit, quod deficiente utero absoluta sterilitas est perpetua, accidentalis autem inutilitas copulae tempore gestationis est transitoria. Huc accedit, quod prior est antecedens, altera consequens. Facere non possum, ut sine ulla dubitatione consentiam cum Schlemmer,[1]) qui usum copulae cum muliere, quae post matrimonium est castrata, interdicit. Quidquid id est, theologi quaestionem dirimant, quum ad rem meam non pertineat.

Denique si Liguori (l. c.) dicit: „in femina impotentia esse censetur, quando (illa) seminare non potest", idem addit: „si verum est, semen feminale requiri ad generationem." Quod quum minime requiratur, haec impotentia non existit.

3. *Impotentia relativa* ex discrepantia organorum generationis oritur, si vagina mulieris angustior est pro organis viri, quamvis uterque coniux cum aliis copulam exsequi posset. Communiter quidem in tali casu adaptatio vaginae repetitis tentaminibus sperari potest, nisi forte summa coarctatio vel magna rigiditas vaginae (ex. c. per cicatrices) adsit, vel nimius ambitus organi virilis (ex. c. per elephantiasim) modum excedat. Quare etiam in hisce conditionibus experientia triennii admitti potest.

---

[1]) Dr. Schlemmer, Die Porro-Operation und ihre moralischen Grenzen. Stuttgart bei Enke 1881.

4. Quid? *hermaphroditi* suntne impotentes? Liguori (lib. VI. 1095) dicit: „Valide contrahunt I. Steriles . . . . . II. Hermaphroditi, quia vere sunt potentes ad usum matrimonii. Et quidem, si alter sexus emmineat, secundum illum tantum valebit: si uterque sit par, optio illis datur, ut utrolibet utantur, ita tamen, ut quem semel elegerint, semper retineant.“

Difficillimam questionem de hermaphroditis hoc loco fuse exponere, longum est et supervacaneum. Illud solum hic notandum, plerosque hermaphroditos qui vocantur, si accuratius inspiciantur, aut viros aut mulieres inveniri, atque unius tantum certi ac perspicui generis esse, quamvis totus habitus et ipsa externa genitalia semivirilia et semifeminalia appareant. Praeter hos etiam in paucis hermaphroditis accuratius post mortem inquisitis aut unum testiculum et unum ovarium aut utrinque testiculum cum ovario reperta sunt. Atque de his quidem solis hoc loco sermo esse potest. Utrum eiusmodi hermaphroditus proprie dictus generare possit, nusquam observatum invenio. Sed supponendum est, eum generare non posse, quum in his hominibus externa genitalia semper maxime deformata sint. In praxi quaestio de impotentia ut impedimento matrimonii rarissime occurret, quia paucissimi horum hermaphroditorum aetatem puberem attingunt. In casu singulari sine dubio sententia unius vel complurium medicorum tum de sexu tum de dubia potentia petenda est.

E. DE AFFECTIONIBUS ET MORBIS PERICULUM VITAE AFFERENTIBUS.

Nemo infitiabitur, clerico optandum esse, ut saltem universim cognoscat, quaenam affectiones et morbi periculum vitae secum ferant. Equidem non ignoro, summam esse difficultatem in seligendis iis rebus, quae hoc loco opportune proponi videantur, nec minus difficile esse, ea, quae proponantur oportet, ita dicere, ut clericus, necessaria rerum medicarum scientia non instructus, in usum conferre possit. Nihilominus apud me statui, hoc consilium ad effectum adducere. Sed illud moneo, mihi neque esse propositum, neque esse posse, ut *omnes* morbos ac tentationes enumerem, quibus mors adduci possit; satis mihi erit, praecipua eorum genera et frequentissimas aegrotationes, sive mortis causas enarrare. Neque fieri potest, ut in singulis aegrotationum speciebus explicem, quomodo, quando, quibus rebus adiunctis mors eveniat, universa quaedam indicia etiam hic sufficient. Aliquoties hic labor meus non alium forte usum habebit, nisi ut clericus de periculo probabiliter imminente admoneatur, utque ei non tam facile accidat, ut ob aliorum negligentiam omittat, quae sui muneris sunt, facere. Neque sine consilio termini technici adiecti sunt, quum hos solos saepissime clericus v. gr. a medico audiat atque eorum praecipuos cognoscere debeat.

Postquam morbos summi discriminis plenos enumeravero, etiam indicia, vel ipsis imperitis perspicua colligere tentabo, quae gravem ac periculosam aegrotationem significant, denique de iis signis disseram, quae mortem aut imminere et instare, aut iam evenisse declarant.

Ac primum quidem inter morbos *acutos* laesiones praecipuorum organorum periculum vitae secum ferunt. Huc pertinent laesiones capitis, quae ossa cranii violant, frangunt, perforant, vel ipsum cerebrum eiusque membranas laedunt. Commotiones cerebri per ictum vel casum etc. — Fracturae, luxationes, distorsiones columnae vertebralis una cum violatione et commotione medullae spinalis. — Graves laesiones colli, quibus simul trachea et oesophagus, aut unum vel complura vasa maiora violantur. — Vulnera, quae in cavum thoracis vel alvi penetrant, sive laeduntur sive non laeduntur organa intra cavum posita. — Vehementes contusiones thoracis et alvi, quae saepe cum internis dilacerationibus, et perniciosis ossium fracturis v. gr. ossium pelvis coniunctae apparent. — Totales conquassationes, abruptiones et illae membrorum fracturae, in quibus simul vulnera externa inveniuntur. — Laesiones magnarum arteriarum.

Omnes huius generis laesiones tum per se statim vel brevi post, tum postea per inflammationem, quam provocant, mortem inferre possunt.

Inflammationes acutae organorum vitalium, quacunque demum ratione sunt productae, inter primas ac gravissimas mortis causas referendae sunt. Inflammationes cerebri eiusque membranarum (encephalitis, meningitis), bronchorum, praesertim apud infantes et senes (bronchitis), pulmonum, pleurae (pneumonia, pleuritis, pleuro-pneumonia); phthisis florida, (tuberculosis pulmonum acuta); inflammationes pericardii (pericarditis, endocarditis), peritonaei in variis suis partibus (peritonaeitis), hepatis (hepatitis), renum (nephritis, morbus Brigthii) — haec omnia plus minus frequenter mortem afferunt.

Porro huc pertinent nonnulli morbi epedemici et contagiosi: variola vera (interdum etiam varioloïs), cholera asiatica, apud pueros et senes debilitatos etiam cholera nostras sive cholerina, dysenteria, typhus abdominalis, typhus exanthematicus, febris intermittens perniciosa, diphtheritis, febris puerperalis. Sed morbilli, scarlatina, tussis convulsiva (pertussis) plerumque solos infantes, raro adultos morti obiiciunt.

Praeterea inter acutos morbos mortiferos recenseantur oportet: apoplexia, insolatio, laryngitis crouposa sive pseudomembranacea, intestinorum perforationes ulceribus effectae; miserere, quod dicitur, sive volvulo, invaginatione, strictura intestini, sive hernia incarcerata producitur; ischuria acuta seu suppressio urinae apud homines praesertim seniores; rheumatismus articulorum acutus, erysipelas faciei et capitis et erysipelas migrans; trismus, tetanus, eclampsia infantium et parturientium, rabies canina; infectiones allatae per malleum humidum, morbum carbunculosum bestiarum, virus cadaverinum, vehementia plantarum et mineralium venena; pyaemia sive infectio sanguinis per absorptionem succorum virulentorum, qui ex vulneribus etc. defluunt; gangraena etc.

Denique huc referri poterit vehemens profluvium sanguinis e naribus, pulmonibus, ventriculo, utero etc.

Praeter aegrotationes acutas, quae subito aut intra paucos dies vel paucas hebdomadas vitam auferunt, morbi *chronici* quasi mortis quidam apparitores sunt haud minus diligentes. Nam iure possumus affirmare, totidem communiter homines chronicis morbis confici, quot acutis morbis (si omittis, bellis atrocibus, id quod morbis minime tribuendum est, homines catervatim perire).

Inflammationes fere omnes speciem chronicam induere possunt. Quae, si acutae sunt, vitae discrimen cito secum ferunt, eaedem si chronicae fiunt, plerumque tardius sed certius mortem adducunt. Et haec quidem mors ut plurimum communi quadam exinanitione organismi adducitur, nisi forte alia complicatio citius ac saepe subito vitam aufert. Haec virium vitalium consumptio tum ex illis succorum iacturis, quae cum nonnullis morbis coniunguntur, tum ex manca receptione incitamentorum vitae et ex organorum imbecillitate pendet, qua fit, ut incitamenta recepta in corporis usus non convertantur. Organa digestionis et respirationis si aegrotant, non satis magnam copiam alimenti et oxygenii recipere, neque in commodum corporis convertere possunt; quare horum organorum aegrotationes chronicae duo praecipua genera efficiunt causarum, quae mortem inferunt.

Tertium genus positum est in centralibus nervorum organis, in cerebro et in medulla spinali; quartum denique genus constituunt perturbationes circulationis (vitia cordis) et morbosa temperatio atque infectio sanguinis (morbi hepatis et renum, carcinoma in diversissimis corporis partibus, tuberculosis, malaria etc.). Intra *quantum* tempus morbus chronicus homini mortem illaturus sit, id saepe difficillimum est dictu. Non raro observatur, ex duobus aegrotis ad speciem similibus alterum altero citius multo mori, quamvis huius rei causa nulla inveniri possit. Atque saepe etiam, cur hoc potissimum puncto temporis aegrotus mortuus sit, ipsa sectio corporis mortui non edocet, neque tum quidem, quum in morbo chronico aegrotus opinione citius vel subita morte abreptus fuerit.

Ex his satis intelligent clerici, ne ipsum quidem medicum semper mortem aut propinquam aut longinquam praenuntiare posse. Illud in universum statui poterit: In morbis chronicis quando aut communes aegroti vires in peiorem conditionem mutantur, aut singularia quaedam et periculosa signa apparent, tum certe cautione opus est.

F. DE SIGNIS AEGROTATIONIS GRAVIS AC MORTIFERAE.

Quotiescunque clerico nulla se offert occasio cum medico colloquendi, neque alia est ratio cognoscendi periculum, quod forte imminet, iis utique rebus contentus esse debebit, quas ipse observare potuerit. Atque hoc ruri quidem saepissime, sed vel in urbibus forte non raro accidet. Forsitan enim medicus neque necessarium neque utile fore existimabit, ut morbi naturam ac periculum accuratius exponat cognatis, qui hac ex causa nihil aliud compertum habebunt, nisi quod ipsi observaverint. Sacerdos contra suas habebit causas et forte gravissimas, cur optare debeat, ut de periculo vitae mature admoneatur, antequam periculum ipsum efficiatur proximum. Atque ex causis iam supra allatis sacerdos hoc semper optare debet. Quare conabor, complures conditiones ac notas, etiam iis, qui medici non sunt, perspicuas, hoc loco colligere ac proponere, ex quibus sacerdos ipsemet mortiferam aegrotationis vim ac naturam facilius intelligat. At vero ex hisce signis nihil aliud innotescit, nisi quod eorum unum vel plura, quum apparuerint, perturbationem organismi vitae periculosam indicant. Certe igitur ex illis signis *non* potest cognosci, *quali* morbo, *quali* perturbatione aeger laboret, multo etiam minus, quaenam *remedia* huic malo adhibenda sint. Neque diagnosis neque therapia ad clericum ullo modo pertinent, sed huic sufficit cognoscere, utrum conditio eiusmodi sit, ut communiter mortem afferat vel afferre possit.

Signa, quae aegrotationem gravem vitaeque periculosam indicant, sunt haec:

1. Magnae aberrationes a legitimo corporis calore et a

recto temperationis sensu. His semper gravis perturbatio indicatur. Normalis humani corporis temperatura (in axilla mensurata) fere aequat 37° C. Calor si ultra 39,5° C. augetur, gravem indicat perturbationem, quum eodem gradu per longius tempus persistit, ac praesertim quum mane nihil vel parum minuitur. Gradus caloris a 40,5° C. ad 41,5° C. indicant vitam in magno discrimine versari. In morbis chronicis quaelibet caloris incrementa etiam minora periculum significant. Quae si continua sunt, crescentem consumptionem annuntiant.

Quum thermometrum non semper ad manus habetur, saepe calor solo tactu sensuque commensurandus erit. Altiores temperaturae gradus in manu imposita quasi ardentis et plerumque sicci caloris sensum excitant. Atque in summis temperaturae gradibus sensus ille adeo augeri poterit, ut molestus sit atque manus quasi calore morderi videatur; quare hic calor mordax dicitur, qui in gravissimis morbis percipitur et pessimi ominis est.

Iisdem fere gradibus, quibus elevatur temperatura, etiam in ipso aegroto augetur caloris sensus. Quodsi maiores calores suo sensu iam non distinguit aegrotus, sensorium perturbatum et cerebri functio impedita est, ideoque res malae notae. De sensu frigoris, de frigoribus inter ipsos calores vide infra.

Si quis aestuat, et tamen probari non potest, calorem corporis externum increvisse illud communiter mali futuri indicium non est. At vero haec res in cholera asiatica significat transitionem ad typhoidem cholerae quod dicitur, adeoque novum ac periculosum statum praenuntiat. Porro quoties cum internis dilacerationibus vehementia quoque et interna sanguinis profluvia coniunguntur, in illo loco, quo sanguis emittitur, maioris caloris sensus excitatur, quamquam temperaturae elevatio demonstrari non potest, imo potius per sanguinis iacturam calor in cute apparet deminutus.

Temperaturae deminutio in solis fere gravioribus perturbationibus observatur. Maxime quidem minuitur in cholera, sed etiam in anaemia post copiosam sanguinis profusionem, in morbis hydropicis, in paralysi etc. idem accidit. Quae deminutio, quum inter morbos acutos subito observatur, mortem appropin-

quare designat. Sed etiam tempore consumptionis in morbo chronico descensus temperaturae infra normalem mensuram signum est mortis iamiam imminentis.

Plerumque fit, ut quum corporis calor deminutus appareat, etiam aegrotus se frigescere sentiat. Hoc etiam tum saepissime accidit, quum vera coporis temperatura aliquod incrementum ceperit vel saltem eius decrementum demonstrari non possit: rigores ac frigora dicuntur. Omnis fere febris etiam levior a frigore vel rigore initium ducit, neque hoc frigus quodpiam singulare malum praenuntiat. Quodsi haec frigora saepius recurrunt vel inter morbum ipsum observantur, peioris conditionis statum, novam complicationem etc. indicant ac proinde mali, saepe pessimi ominis sunt (v. g. in pyaemia, in uraemia).

2. Magnae mutationes sensus communis, quae causis psychicis tribui non possint, hebetudo, indifferentia vel magna molestia, quam angor, turbulentia et affectio quaedam flebilis comitantur, plerumque indicant, organismum plane perturbari.

3. Si aeger inhabilis est ad se movendum, si fere immobilis iacet, si corpus in lecto collabitur et semper descendit, ex hisce signis cognoscitur, febrem esse gravissimam simulque systema nervorum centralium vehementissime affligi.

4. Doloris sensus, quum maxime varii sint in variis hominibus, per se parum apta sunt signa ad vitae periculum indicandum iis, qui artis medicae expertes non fuerint. Id solum scire oportet, quum in ipso morbo subito vel citissime remittantur dolores, id tum malum omen esse posse, si eodem tempore febris non remitti videatur et si increscens exinanitio totius corporis declaret, aegrotum non ideo dolore carere, quod causa doloris evanuerit, sed quod sensu nimium debilitato eum non iam percipere possit.

5. Habitus cutis. Color cutis pallidus, luridus, cineraceus vel subflavus indicat, nutritionem corporis perturbatam esse. In cholera et in summis frigoribus febris intermittentis cutis subcaeruleo vel caeruleo colore tingitur. Idem color quum in vultu, praesertim in genis et labiis, atque in digitis apparuerit, circulationem prorsus perturbatam esse indicat.

Siccitas cutis signum est semper ingratum; si magna sit ac diu persistat, indicat gravem aegrotationem timendam esse, quae malum exitum habitura sit.

Sudores si augentur, praesertim si per noctem multi atque continui sunt, in morbis chronicis designant consumptionem augeri. Sudor frigidus semper malae notae est, praecipue in acutis, febriculosis morbis; in morbis chronicis, quum maxima adest infirmitas, saepe declarat aegrotum iam morientem esse.

6. Hydrops tum universalis tum localis semper magnarum perturbationum signum est; quodsi in acutis morbis celeriter apparet, plerumque timendum est, ne citius mors appropinquet. Si tumores hydropici, qui diutius exstabant, subito dispareant, saepe annuntiant, mortem iam non procul abesse.

7. Universalis et summa macies sequitur ex nutritione plane perturbata, et in morbis chronicis mortem non longinquam designat.

8. Spasmi communes vel etiam singulorum membrorum convulsiones indicant, nervos centrales obturbatos esse; sin per longius tempus continuantur, vel saepius recurrunt, maximas esse scias perturbationes, quae saepe celeriter vel etiam subito vitae finem faciant. Etiam epilepsia proprie sic dicta ipsu impetu suo saepe mortem infert. Excipiuntur hystericorum spasmi locales et communes, quorum ipsi impetus *rarissime* mortiferi sunt.

9. Alia indicia sunt: si tendines subsultant, si aegroti floccos vel fila colligere videntur, si manus super lectum temere circumferunt quasi quidpiam quaesituri vel apprehensuri, saepe clausis interea oculis aut obtutu incerto inanive oculorum aspectu.

10. Paralysis singularum partium extremarum, alterius partis faciei, unius lateris (hemiplegia) vel inferiarum partium (paraplegia) corporis. Item paralysis quorundam musculorum praesertim eorum, qui corporis ostia constringunt, pessima sunt omina. Si praeter voluntatem stercus et urina emittuntur, musculos constrictores huc pertinentes debilitatos vel paralyticos esse patet.

11. Loca gangraenosa in variis corporis partibus, gangraena a decubitu producta in osse sacro, in natibus, coxis, calcibus etc. magnam virium defectionem denotant omenque pessimum habent.

12. Pulsus frequentissimus, qui 130 ictus per minutum superat (in adultis), vel dicrotus, intermittens, irregularis, inaequalis, parvus, filiformis, vacuus, debilis et suppressu facilis.

13. Si os apertum est, si interdum etiam praeter voluntatem saliva defluit (in apoplexia), si os distortum apparet; si grandi macie extabescunt, concidunt, extenuantur labia summo pallore vel subcaeruleo colore suffusa; si labia, gingiva, dentes, lingua, nares quodam fusco, sordido, fuliginoso, sicco mucore obteguntur, tum omnia collabi scias et proximum minari interitum. Item tempora labentia, aures extenuatae et languescentes, nasus acutus et collapsus vel in alterutram partem distractus, oculi concavi, rigentes; rotatio et distorsio oculorum, multa lacrimatio, strabismus antea non observatus et visus duplicatus, pupillae omni lucis sensu carentes, disparitas pupillarum, caligo tenebricosa coram oculis, deminutio visus, auditus, omnium denique sensuum pessima praenuntiant.

14. Huc etiam pertinet, id quod cerebrum debilitatum esse declarat, deminuta vis percipiendi res externas atque impressiones, defectio memoriae, somnolentia, sopor, ex quo excitari quidem aegrotus possit, ita tamen, ut statim in eundem recidat; coma et lethargia, ex quibus aegroti aut difficillime aut nullo modo excitari possint. Insomnia perpetua et dilirium maiorem irritabilitatem vel vehementem irritationem cerebri indicant et mala futura ut plurimum praenuntiant.

15. Respiratio frequentissima est in gravioribus pulmonum morbis et cordis vitiis, quae iam ad altiorem gradum pervenerunt. Normalis adultorum conditio est, ut 20^{ies}—25^{ies} per minutum respirent. Qui 35^{ies} et amplius (ad 60^{ies} usque) per minutum spiritum ducit, graviter aegrotare cognoscitur. Etiam in gravi morbo organorum pectoris respiratio apparet aut difficillima, quum alae narium multum dilatantur et musculi colli vehementer contenduntur, aut parva, parum copiosa, ita ut inspiratio brevis, abrupta esse, atque exspiratio quasi cum damno inspirationis prolongari videatur. Summa respirandi difficultas dicitur orthopnoea, quo in statu summa cum contentione totius fere corporis aegrotus respirare non potest, nisi erectus sit vel sedeat.

Hoc loco genus quoddam respirationis facile cognitu commemorare oportet, quod licet non saepe observetur, tamen si observatur, magnam indicat perturbationem: quae respiratio nomen duxit a Cheyne-Stockes. Haec respiratio moras habet vel breviores vel longiores atque omnino haeret; tum sensim sine sensu rursus denuo incipit et augetur adeo, ut interdum impetuosa et difficilis evadat; denique paulatim iterum debilitatur novasque moras trahit. Quamvis recentiores observationes demonstraverint, hunc respirandi modum non semper, ut aliquamdiu creditum est, certae mortis signum esse, illud tamen certo constat, saltem in adultis hanc esse rem summi discriminis plenam.

16. Sputa sanguinea semper suspicionem movent; quae si per longius tempus continuantur vel saepius repetuntur, gravium perturbationum sunt indicium. Sanguinis autem eruptio (haemorrhagia) e pulmonibus semper indicat laesionem, quae vitae aliquando periculosa fiet, sed etiam per se celerem mortem adducere potest.

Sputa copiosa, fere liquida, purulenta, quum assidua sunt, declarant aegrotationem chronicam pulmonum satis diffusam atque ad exinanitionem adducunt.

17. Frequentes singultus, gemitus, oscitationes in morborum acutorum decursu malum omen secum ferunt.

18. Magnus alvi turgor, tympanitis, meteorismus (inflatio per aëra in peritonaeo vel in intestinis inclusa), in progressu alicuius morbi pessima res est. Si plurimum augescit, vitae exitium praenuntiat haud procul abesse.

19. Vomitus frequentissimus et assiduus semper indicat graves perturbationes (choleram, carcinoma stomachi). In morbis cerebri, peritonaei etiam rarior et vel unicus vomitus indicat, haec organa notabiliter aegrotare. — Vomitus stercorum demonstrat adesse periculosum illum statum, in quo intestinum non iam transitum permittit (miserere). — Vomitus sanguinis non invenitur, nisi in gravioribus stomachi laesionibus (ulcus ventriventriculi, carcinoma ventriculi). — Vomitus purulentus indicat ruptum esse abscessum stomacho vel oesophago propinquum et nunquam non periculosissimus est.

20. Deiectiones alvi liquidae et supra modum frequentes in morbis chronicis, praesertim in phthisi pessimae notae sunt et mox consumptionem mortemque adducunt. Inter affectiones acutas commemoranda est cholera et dysenteria. In quibus quum deiectiones fuerint frequentissimae, in dysenteria etiam diu cruentae, morbi impetus semper vehemens est vitaeque periculosus, praesertim si eodem tempore eiusmodi epidemiae grassantur.

21. Ischuria, retentio urinae, quoties assidua, toties suspecta et periculosa est; praecipue vero senioribus exitium parat.

22. Copiosissima sanguinis profluvia cuiuslibet generis semper periculosa sunt; atque ne anima cum sanguine mittatur periculum adest, si facies pallescit ac sudore frigido obtegitur, si nausea, caligo tenebricosa ante oculos, in auribus sonatio observatur, pulsus minuitur vel evanescit, si quae membra spasmis agitantur, oculi sursum contorquentur.

Atque res quidem omnes, quas commemoravimus, eiusmodi perturbationum signa sunt, quae mortem afferant corpori vel afferre possint. Illud autem manifestum est, alia aliis graviora esse signa atque quo plura eorum simul observentur, eo verisimiliorem fore malum exitum. Denique idem signum in uno morbo magis suspectum erit quam in altero. Sed haec singula pertractare hoc loco neque possum neque necesse est. Spero fore ut, quae hic enumeravi, fructu suo non careant: iuvent clericum velim, ut communiter graves ac mortiferas aegrotationes sua ipse observatione cognoscere possit.

Sunt utique certae quaedam periculosae affectiones, quas medicae artis imperitus cognoscere nequit, quasque ut cognoscat effici non potest. Tum in his tum in aliis casibus, quando aut vita subito in discrimen vocatur aut nuntius morbi tardius affertur, necessarium est, ut sacerdos signa appropinquantis sive proxime instantis mortis cognita habeat. Inter ea signa, quae supra enumeravimus, complura iam reperiuntur, quae quum ad altiorem gradum ascendant, mortem proxime imminere declarant. Certus quidam eorum numerus, diversus tamen pro diversis morborum generibus, imaginem nobis exhibet *agoniae* proprie dictae.

6. DE AGONIA.

Iamvero gradatim omnes organismi partes collabuntur. Musculis debilitatis lineamenta oris exaequantur et omnes faciei partes quasi pendulae apparent; delapsa maxilla inferiore facies oblongior redditur, palpebrae demittuntur, non tamen clauduntur; nares, tempora collabuntur, omnia exacuuntur et quasi cacuminata apparent eo quod ossa ex languentibus partibus mollioribus magis eminent; oculi immoti iam nulla in re obtutum figere possunt, cornea marcescit, vitreo similis efficitur, splendorem amittit vel recidit; os semiapertum, labia siccata et tenuia sunt neque iam dentes contegere solent; tota facies subravo, saepe etiam subcaeruleo colore tingitur; aures et nares primum, deinde tota facies frigescit ac frigido et tenaci sudore obtegitur. Omnis extremitatum motus conquiescere videtur vel in trepido quodam ad movendum impulsu apparet; corpus totum gravitatis leges sequitur, in lecto labitur, caput retrorsum vel in alterutram partem recidit, membra, si elevas, sine vi sua sponte relabuntur. Respiratio difficilis evadit ac lenta, deinde etiam irregularis et inaequalis, denique cum gemitu ac strepitu illiditur faucibus. Musculi constrictores debilitati involuntarias deiectiones impedire iam non valent. Saepe oesophagus paralyticus est adeo, ut potiones per eum quasi procidant et cum strepitu quodam cucuriente in ventriculum perveniant. Pulsus apparet minimus, nequit numerari, intermittitur, plane evanescit.

Membra ab imo ad summum gradatim refrigescunt; conscientia aut cito amittitur aut demum, postquam sensus iam exstincti sunt. Sensus odoris, gustus et tactus primi evanescunt.

Tum visus exstinguitur. Auditus plerumque usque ad extremum tempus persistit atque saepe reliquis sensibus iam plane deletis remanet. Etiam in ipso statu asphyxiae interdum auditus non amittitur.

Tota cutis pallescit et flaccescit; in morbis chronicis antea saepe fit, ut tumores hydropici cito evanescant et ulcera siccentur.

Postquam omnia plus minus paralytica sunt, res plerumque conficitur una vel pluribus profundis inspirationibus, interiectis tamen longioribus intervallis, quas tandem lenta et prolongata expiratio sequitur.

Agonia etiam mortis colluctatio appellatur. Atque imperitis hominibus forte ita videbitur appellanda. Plerumque tamen ipsa mors non adeo impetuosa est, ne dicam de illis quidem hominibus senio confectis, qui in morte quasi obdormiscere videntur. Non raro fieri videmus, ut post dolorosum morbum aegrotus paulo ante mortem bene se habeat, paene dixerim, voluptate quadam afficiatur. Atqui hic status nihil aliud est, nisi effectus debilitationis progredientis, quae sensus vi sua opprimat et organismum graviter afflictum ad tranquillam extinctionem perducit. Sed neque ex genere morbi neque in morbis acutis ex conditione virium corporis certo concludi atque praenuntiari potest, qualis futura sit species mortis vel agonia quamdiu duratura sit. Forsitan homo robustus morbo acuto laborans facili negotio et post brevem agoniam morietur, contra homo tuberculosus debilitatus et enervatus quandoque per multos dies cum suo suorumque tormento perfectam agoniae speciem praebebit et magno cum strepitu respirans lente tantum ac difficulter animam efflabit.

Facta ultima expiratione homo mortuus esse censetur, quamvis interdum forte plura minuta transeant, priusquam ultimum vitae vestigium disparuerit. Cordis musculi saepe etiam post ultimum spiritum aliquot licet levissimos motus faciunt. Quodsi agoniam et exstinctionem gradatim procedentem observaveris, paucis minutis post ultimam expirationem de certa morte tibi persuasum erit. Sed tamen alia sunt exstinctionis genera, quae dubium relinquant, utrum mors certo evenerit nec ne. Quare non supervacaneum videtur, hoc loco de asphyxia (sive de statu mortis simili) et de mortis quoque signis, quae sint quidve valeant, pauca disserere.

H. DE ASPHYXIA.

Asphyxia dicitur ille corporis status, in quo nullum vitae indicium observatur, mortis tamen signa verisimilia aut certa non apparent. *Respiratio et sanguinis circulatio omnino conquiescere videntur.* Nulla pectoris aut alarum narium elevatio motum respirationis significat, neque speculum obversum ullo afflatu mucescit, interdum ne pluma quidem naribus et ori obversa movetur. Pulsus et cordis ictus aut fere aut prorsus nullus est, facies et membranae pituitariae sicut tota cutis albae et exsangues apparent.

Si impositis linteolis ferventi aqua vel aceto imbutis, si adhibitis sinapismis vel frictionibus cutis rubescit vel pustulas emittit, hoc utique argumentum est, corpus non vere mortuum sed mortuo simile esse. Quodsi res praedictae non apparent, earum absentia certum mortis documentum minime praebet, quum quaedam asphyxiae genera observata sint, in quibus illa rutilatio et pustulatio deerat, et nihilominus postea vita restituta est. Idem dicendum, quum punctionibus acu factis v. gr. in labiis et lingua guttulae sanguinis pullulant. Quae guttulae si apparent, asphyxiam esse certo probant; sin autem non apparent, hic defectus certum mortis signum non est.

Omnis *motus sistitur,* membra aut in terram decidunt, aut rigent et habitum quemcunque eis dedisti retinent. Palpebrae non clauduntur, si eas aperias et bulbum tetigeris. Idque iam ideo accidit, quia omnis *sensus desiit,* nulla saltem sensus significatio observatur. Omnes sensus, visus, odoratus, gustus atque etiam auditus videntur esse mortui. Qua in re illud minime

oblivioni dandum est, quod deficientibus vel omnibus vitae signis, auditus saepe normalem suam conditionem retinet, unde omnes admonemur, ut coram homine in statu asphyxiae posito in verbis et sermonibus cautissimi simus. *Conscientia deest* vel, si adest, id quod aliquoties fieri ab idoneis testibus affirmatum est, manifestari tamen non potest.

Quum subito asphyxia irrumpit, *corporis calor* persistere vel etiam magnopere remitti potest, ita ut frigus mortis esse videatur v. gr. in iis, qui cholera, frigore, aquis perierunt.

Asphyxia evenire potest: post omnes morbos spasmaticos ut sunt tetanus, epilepsia, eclampsia, catalepsia, eclampsia infantium, asthma etc.; — post multi sanguinis iacturas, diuturnam famem, summam defatigationem v. gr. per longa et molestissima itinera; apud puerperas post partus difficillimos; — in congelatione. Porro adduci potest asphyxia laesionibus omnis generis, commotionibus cerebri, ictu, casu, aëris pressione v. gr. in explosionibus; fulminis ictu, sideratione, apoplexiae impetu. Adde, si quis suffocatus fuerit aut respirando aëra irrespirabilia (acidum carbonicum, hydrogenium, vapor carbonarius) aut strangulatione, suspendio, submersione in aquis, aut etiam alienis rebus, quae in faucibus vel cavo oris haerent. — Nec raro infantes recens nati asphyctici sunt.

Denique aliquoties asphyxia locum habet, quum veneno quis interemtus sit, praesertim si venenum narcoticum fuerit, chloroformium, opium, morphium, acidum hydrocyanatum vel aliae eiusdem fere valoris substantiae.

Ex his vulgaribus asphyxiae causis in unum locum collectis manifestum est, periculum ne quis vivus sepeliatur, non esse tantum, quantum saepe vel a pluribus medicinae pastoralis auctoribus describitur. Ac primum quidem omnes illi status et casus, quos dixi, rari sunt. Deinde eiusmodi sunt, ut eo ipso, quod rari sint ac propriam speciem habeant, attentionem quum imperitorum tum medicorum magis excitent, quam vulgares morbi et mortis species. Ut horrenda certe cogitatio est, aliquem vivum sepultum forte reviviscere, ita non minus certum est, numerum eiusmodi eventuum antiquitus multo nimium elatum

fuisse. Ephemerides publicae et libri delectationis gratia conscripti, quum eiusmodi interdum res inveniant, quae partim verae partim falsae postea demonstrantur, ex his horribiles historias primi ordinis conflant. Hinc orta est ista, quae passim in quibusdam locis et regionibus invenitur hominum ingens sollicitudo ac saepe amentia, qua timent, ne vivi sepeliantur. Quodsi ordinationes de modo ac ratione sepeliendi, quae nunc in omnibus terris cultioribus vigent, religiose observantur, res haec horribilis iam accidere non potest. In casibus dubiis, quum omnia certa mortis indicia abesse constiterit, necessaria media ad vitam revocandam adhibenda sunt. (Vide infra.)

Decisio quaestionis, utrum vera sit mors, an asphyxia, aliquoties eo difficilior erit, quod certa mortis signa pluribus demum horis post mortem plerumque apparere solent.

I. DE SIGNIS MORTIS.

Mortis signa prorsus certa sunt: *rigor mortis* et *putredo*.

In *rigore mortis* sive *cadaveris* musculi arcte contrahuntur. Tactu duri sunt, crassi, correpti, musculi flexores superant musculos extensores, ita ut membra sint inflexa, pollex paullulum in manum contractus appareat. Maxilla inferior denuo sublevata, os firmiter clausum est. Quodsi aliquod membrum rigidum et inflexum vi extenderis, musculi iterum non contrahuntur sed deinceps molles permanent. Atque in hoc positum est discrimen inter contractionem, quae rigore mortis efficitur et inter illam, qua vivi musculi per spasmos contrahuntur. Rigor mortis fere in omnibus cadaveribus observatur (forsan excipiuntur foetus immaturi et cadavera congelata ac deinde resoluta). Rigor mortis observatur 1—24 horis post mortem et tenet per 6—48 horas. Qui si interdum non observetur, plerumque alia non est causa, nisi quod propter brevitatem temporis observationem nostram effugerit. Quare eius defectus documentum asphyxiae esse nequit, quia fieri potest, ut in casu de quo agitur, aut iam praeterierit aut nondum apparuerit. Sed si observatus fuerit, certum mortis argumentum est.

Putredo incipit, postquam mortis rigor desiit. Quae manifestatur singulari isto ac proprio odore cadaverino, subviridi colore cutis praecipue in integumentis ventris et locis intercostalibus, gasorum collectione in intestino cum inflatione alvi ac deinde totius cadaveris, pustulosis epidermis tumoribus, qui humore viridi et nigricante vel aëre impleti sunt, putido liquore ex ore emanante. Anus interea patet.

Putredo acceleratur, si aër calidior et humidior est. Atque haec res interdum efficere potest, ut de morte certiores reddamur. Quodsi v. gr. asphyxiam adesse suspicabimur, quum omnia ad vitam restituendam media frustra sint adhibita, nulla tamen mortis signa certa appareant, cadaver transferendum erit in cubiculum calefactum ad 18—20° R., in quo quum suspendantur panni madefacti vel magna et plana vasa aquis impleantur, signa putredinis non diu exspectanda erunt. Quodsi corpus in asphyxiae statu versetur, haec tractatio ei minime nociva erit.

Signa mortis *satis certa* sunt: *maculae cadaverinae* et oculus fractus sive *oculus cadaverinus.*

Maculae cadaverinae e caeruleo rubentes sunt, quae 8—15 post mortem horis, modo citius modo tardius in declivibus partibus corporis, in illa igitur parte, cui corpus incubat, observantur. Plerumque quidem in tergo et natibus inveniuntur, quum supina iacere cadavera soleant, sed etiam in facie, in pectore et ventre reperiri possunt, si quidem pronum iacuerit corpus et in faciem prostratum. Non tamen sunt signa mortis absolute certa, quum vel in vivis hominibus atque etiam in illis observatae sint, qui e statu asphyxiae ad vitam revocabantur. In iis praesertim, qui vapore carbonario suffocantur, etiam dum vivunt, eiusmodi maculae apparere possunt. Sed tum non solum in declivibus corporis partibus inveniuntur, sed nulla positionis ratione habita per totum corpus disperguntur. Neque vero earundem absentia certum *vitae* signum est, quum aut nondum apparuerint aut in quibusdam cadaveribus (sanguine carentibus vel magnopere hydropicis) omnino abesse possint. Quum tamen observatae fuerint, satis certo mortem evenisse arguunt.

Oculus cadaverinus sive fractus. Intra paucissimas post mortem horas in oculo effectus exhalationis apparent. Bulbi intensio remittitur; sclerotica (album oculi) flavescit et paulo post exsiccata et extenuata membranam arachnoideam caeruleam pellucere sinit, ita ut maculae caeruleae varie formatae in ea appareant. Cornea partim exhalatione, partim epitelii deiectione splendorem suum amittit, caliginosa, granulosa, quasi pulvere conspersa videtur. Haec corneae caligatio haud raro iam in

agonia, imo etiam ante ipsam observatur. Atque etiam sclerotica vel in vivis extenuari potest. Contra vero quaedam sunt genera mortis, in quibus etiam cadaver aliquamdiu oculum intensum ac splendidum conservat v. gr. si quis subito apoplexia extinguitur, si suffocatione, si chloroformio, acido hydrocyanato et alcoholio mors illata est.

Praeterea aliquod mortis signum, quod nonnulli quidem certissimum esse iudicant, hoc loco commemorare iuvat, quamquam raro usu veniet, ut clericus illud observare possit. Paulo post ipsam mortem pupilla suam amittit irritabilitatem neque iam coarctatur neque dilatatur. Pupilla, quae viva est neque debilitata, maiori radiorum lucis vi illico coarctatur. In cadavere autem ne ii quidem radii, qui per vitrum convexum collecti sunt, pupillae coarctationem efficere valent. Praeterea solutione atropini in oculum instillata, brevi tempore, fere intra 10—15 minuta, manifestam in pupilla viva dilatationem producere possumus. In cadavere 1—2 horis post mortem elapsis atropinum plane nihil efficit. Bouchut [1]) atropinum appellat „réactif de la mort“ et narrat, se apud aegrotos in gravissimo comate positos, „dont le coma simulait la mort“, solutione ex 0,1 gramm. atropini et 30,0 gramm. aquae facta manifestam semper in pupilla dilatationem provocasse. Quodsi solutio atropini prae manibus, aut (absente medico) pharmacopola [2]) prope est, qui hoc medium adhibere possit, primum utramque pupillam, utrum eiusdem sint magnitudinis, accurate inspicias oportet. Quum aequales magnitudine fuerint, solutione atropini in *alterutrum* oculum instillata et brevi post comparatione facta cum altero oculo, cui atropinum adhibitum non erat, facile constabit, utrum dilatatio locum habuerit. Equidem donec plura tentamina fiant, hoc „réactif de la mort“ existimo mortis manifestandae medium non esse nisi *mediocriter* certum.

---

[1]) Ita refert Dr. J. Gayat in tractatu suo: „Sur les signes oculaires de la mort.“ Archives générales de médecine. Mai 1876. pag. 531 sqq.

[2]) Atropinum est venenum perniciosissimum, quare homo rerum medicarum inscius istud aut in manum nolit accipere aut ne adhibeat, nisi ex accuratissima praescriptione.

Similiter iudicandum est de musculorum irritabilitate per vim electricam exploranda, quamvis hanc rationem experimento atropini praeferre velim. Sed etiam haec explorandi ratio admodum raro adhiberi poterit, quum machina electrica plerumque praesto non sit; idque eo magis dolendum, quod electricitas etiam ad vitam revocandam optime inservire potest. Musculorum irritabilitas paulo post mortem minuitur et intra 3 circiter horas prorsus exstinguitur. Reactio igitur musculorum per vim electricam provocata probaret, hominem aut in asphyxia versari aut non multum ante mortuum esse. Quodsi maior etiam vis electrica nullam prorsus reactionem musculorum efficere valeat, signum mortis satis certum est.

Reliqua denique quae afferuntur mortis signa multo minus certa sunt. Ipsum frigus mortis etiam in asphyxia observari potest, cuius rei exemplo sunt cholera laborantes, quum in asphyxia versantur atque ii, qui submersione vel congelatione in asphyxiae statum adducti sunt. — Si nullo modo vita manifestatur, hoc utique mortis signum est; sed probabiliter solum mortem adesse iudicari potest, si signa adsunt non absolute, sed probabiliter tantum certa; atque tum solum absoluta mortis certitudo efficitur, si certa mortis signa apparent. Incerta mortis signa, quo plura simul observantur, eo mortem probabiliorem reddunt.

K. DE PRIMIS REMEDIIS, QUAE IN SUBITO VITAE DISCRIMINE, PERICULOSIS CONDITIONIBUS VEL CASIBUS ADHIBENDA SUNT.

Asphyxia, nonnullae morborum incursiones, vulnerationes omnis generis, infectiones venenis sive organicis sive inorganicis productae postulant remedia quam celerrima, quibus non adhibitis mox mortem inferunt. Quum praesertim ruri medicus statim adesse nequeat, sacerdos autem plerumque e vestigio accersatur, dein quum saepissime inter adstantes unus et solus sit sacerdos, qui doctrina et prudentia in rebus tam gravibus auxilia ferenda regere et indicare possit, maxime necessarium id esse duxi, ut de primis remediis quae in his casibus adhibenda, hoc loco, quantum res postulat, in universum dissererem. Atque ab omnibus quidem expositionibus physiologicis, pathologicis et therapeuticis abstinens ea solum ubique proponam, quae homo vel rerum medicarum imperitus tam cognoscere quam praestare possit atque debeat.[1])

[1]) Negari certe non potest, opportunum esse, si in omni loco, praesertim in iis, in quibus nullus medicus commoratur, copia instrumentorum, ligaminum, medicamentorum haberetur, quae usui essent ad primum auxilium ferendum. Ubicumque autem eiusmodi apparatus non comparatur et conservatur auctoritate et cura publica, nihil efficietur praeter pium desiderium. Quidquid a singulorum hominum bona voluntate dependet, nunquam in communem usum traducetur. Quare illud in scribendo spectabam, ut ea semper media proponerem, quae sine instrumentorum et medicamentorum apparatu adhiberi possunt, neque hoc loco proposui de iis rebus dicere, quae ad opportunum apparatum ligaminum et medicamentorum pertinere viderentur.

I. DE MEDIIS IN ASPHYXIA ADHIBENDIS AD VITAM RESTITUENDAM.

In tractando illo, qui in asphyxiae statu versatur, res summa est, ut celeriter ac tuto procedamus, praepropere et imprudenter nihil agamus.

In primis igitur omnia removenda sunt, quaecunque corpus vel aliquas eius partes coarctare et constringere videantur: focalia sive collaria (funes circa collum positi), fasciae braccis sustinendis destinatae, tunicarum ligamina, thoraces lintei, cingula, arcta genualia. Plerumque opus non est, corpus omnibus vestibus exuere, nisi congelatum aut aquis suffocatum fuerit.

Deinde nares, os, fauces, larynx quantum fieri potest a pituita, arena, aliis rebus alienis quibuslibet expurganda sunt, id quod fieri potest digitis, spongiis, pennis, penicillis, bacillis lino vestitis. Aqua suffocati ne in caput subvertantur, hoc enim non minus periculose quam imprudenter fieret. Potest quidem, ut citius aqua effluat, per aliqua minima temporis puncta aegrotus collocari in positione horizontali, vel ita ut superior pars corporis paullulum inclinetur. Nam ea aqua, quae iam devorata est, non magis hac in positione effluet, quam per subversionem in caput; sed illa aqua, quae solum in pharyngem et laryngem influxit, facta illa parva inclinatione satis cito iam effluet.

Transferatur talis aegrotus, qui mortuo similis est, in locum opportunum, ubi purus aër ac recens; tempore igitur aestivo sub coelo patente collocetur, hiemali in cubiculo modice calefacto. (Excipe congelatos, qui semper in loca frigida transportandi erunt. Vide infra.) Collocabitur deinde corpus in lecto, tomento, sacco stramenticio, stramento vel alio quolibet cubili ita tamen, ut caput et pectus altiorem locum occupent et omni ex parte corpus commode adiri possit, ne scilicet adiuvantes se invicem impediant sed undique locus pateat ad varia auxilia praestanda. Ad haec autem 4 aut summum 6 personae requiruntur et plane sufficiunt, quare reliqui omnes, quorum praesentia opus non est, e cubiculo vel proximo circuitu removendi sunt.

Media vitae restituendae sunt:

1. *Remedia irritantia:*

in *nervos cutis* applicanda: Pectus, brachia et crura, pedes et manus terantur et perfricentur manibus, pannis laneis, pellibus, lino, stramento, peniculo. — Tempora, frons, pectus, scrobiculus cordis vino calido, aceto, vino adusto laventur. Conspergatur facies et pectus aqua glaciali; radii tenues aquae frigidae e loco 4—5 pedes alto in caput, cervicem, spinam demittantur. — Instilletur scrobiculo cordis aqua fervida, cera sive pix signatoria; cataplasmus synapeos, charta bibula spiritu synapeos imbuta in quibusdam locis ponatur, in epigastrio, in suris, in plantis. — Cucurbitae siccae admoveantur cervici, femoribus, tergo.

Irritamenta *nervorum narium:* Tabacum contritum, pulvis sternutatorius, piper, acetum naribus ingeritur aut caepa, amoracia, adustae pennae et cornu, ammoniacum causticum solotum, eau de Cologne ad nares apponitur. Possunt etiam pennis, tenuibus culmulis, seta equina nares titillari.

Pharynx irritatur: si uvula, fauces digito, penna, penicillo, bacillo lino induto titillantur.

Etiam clysteriis praeparatis ex glacie, ex aqua sapone infecta, vel aceto, vel ex melle cum aqua, ex aqua salsa, ex decocto herbae nicotiane (15—20 gramm. cum 500 gramm. aquae decocta), intestinum rectum irritari potest.

2. *Remedia foventia.*

Praeter attritus et frictiones, de quibus supra dixi, ad fovendum corpus valet, si lectum calefacias urceis fervida aqua impletis (non tamen omnino plenis, ne obturamenta resiliant), lapidibus calefactis; praeterea fovetur corpus, si calidis teguminibus laneis et pannis involvitur, cineribus fervidis vel fervente arena contegitur. Balneum calidum (30°—32° R.) quum parari possit, maxime opportunum est.

3. *Respiratio artificialis.*

Haec certe omnium rerum gravissima est. Ceteris rebus non diu inhaerendum est, sed quam primum ad respirationem restituendam procedas necesse est, simul tamen neque foventia remedia negligere et irritantia passim adhibere debes. Sed

nihil valet illa, quam adhuc commendant, inspiratio aëris in os et nares, sive aër ore ori admoto sive folliculo ventoso adhibito inspiratur. Etiamsi simul linguam protraxeris et larynge m in aversum represseris, aër tamen in ventriculum potius quam in pulmones penetrabit. Multo magis consulendum est: ut aut thorax a pectore et a lateribus simpliciter comprimatur et relaxetur, aut corpus volvatur a ventre in latus ac retrorsum (interea brachium illius lateris, in quod corpus revolvitur, fronti supponendum est), aut denique: ut brachia alternatim lente firmiterque eleventur supra caput, deinde demittantur et ad latera apprimantur. Hi motus 10—12—15$^{\text{ies}}$ in minuto tranquilla atque aequabili ratione repetantur.

Haec experimenta vitae restituendae tranquille et constanter per 4—6 horas continuari debent. Iamvero spem afferunt: rubor praecipue in labiis ac genis, calefactio cutis, contractio, deminutio pupillarum admoto lumine producta, convulsiones angulorum oris et digitorum, leves et trementes motiones maxillae inferioris et oculorum, motus ad vomitum, sternutatio, gemitus, suspiria, ructationes, motus quidam respirandi, sensibiles cordis ictus, pulsus revertens. Quodsi unum aut complura ex his signis observantur, omnes conatus placide continuandi sunt atque imprimis a respiratione excitanda non desistendum est, priusquam pulsus, respiratio regularis et conscientia redierint.

Quamprimum vita adeo restituta est, ut aegrotus deglutire valeat, ei praebeatur bibendum aliquid caffeti calidi, thei, modicum vinum, vel vinum adustum aqua immixtum, 20—25 guttae spiritus aetherei. Plerumque mox aegrotus somno consopitur, qui minime perturbandus est, sed interea tamen pulsus ac respiratio diligenter observentur oportet.

Quodsi omnes conatus irriti fuerint nullumque appareat vitae signum, cadaver obtegas et per horas proxime sequentes ei vigilans assideas.

Congelati paulo aliter tractandi sunt. In iis transportandis magna cautio adhibenda est, quum facillime laedantur vel etiam frangantur membra rigida, praesertim partes minores, aures, nares, manuum pedumque digiti. Transferantur ergo in locum

venti perflatibus non expositum sed tamen *frigidum* et vestes, quantum licuerit, forficibus recidantur. Tum corpus totum, praeter os et nares, contegitur nivibus vel pannis glaciali aqua imbutis, vel in balneum demittitur aqua glaciali paratum. Quum corpus adeo solutum fuerit, ut membra flecti possint, nivibus vel pannis aqua frigida imbutis cutis atteritur, clysteria frigida applicantur et incipit respiratio artificialis. Simulatque prima vitae signa apparent, corpus bene tegitur, siccis pannis modice calefactis atteritur et in cubiculo *frigido* collocatur in lecto modice calefacto. Iamvero praeter artificialis respirationis experimenta nunc adhibenda sunt cetera quoque remedia irritantia, tepida etiam clysteria, tepidae manuum pedumque lavationes.

Singulae partes congelatae, manus, pedes, digiti, quae albae, rigidae, sensuque carentes apparent, simili ratione tractandae sunt. Primum nivibus obteguntur, deinde frigidis madidisque pannis teruntur, tum demum calefactis et siccis pannis atteruntur vel tepida aqua lavantur.

Si in hominibus suffocatis suspensis, strangulatis vel in congelatis iam resolutis, caput rubrum, facies rubra vel caerulea appareat et oculi splendeant atque promineant, compressae frigidae capiti admoveantur necesse est atque si quis rerum peritus (chirurgus vel medici adiutor) adsit, sanguis mittatur.

II. DE PRIMIS REMEDIIS IN QUIBUSDAM MORBOSIS CONDITIONIBUS ADHIBENDIS.

Choleram, dysenteriam, alia, quae a nonnullis auctoribus hoc loco enumerari et fusius tractari solent, equidem prudens sciensque omitto. In his enim plerumque nocivum est, quidquid remedii homo rerum imperitus adhibuerit. Praeterea, quo tempore epidemia aliqua grassatur, etiam ubique cura habebitur, ut medicus facillime ac celerrime auxilio venire possit. Neque magis necessarium id esse existimo, ut de iis mediis adhibendis singillatim praecipiam, quae praeservent ac prohibeant a contagione epidemicorum vel aliorum morborum contagiosorum.

Prudens ac salubris vivendi ratio, visitatio hominum infectorum domorumque praeter necessitatem evitata, mentis tranquillitas, animi denique virtus ac fortitudo, en tibi optima remedia praeservativa! Sacerdotes igitur et medici diligentius ab *omnibus excessibus* caveant oportet, quantum licuerit *sub divo* ambulent, frequenter *mutent vestes,* saepe faciem manusque lavent et os eluant, et quum forte nimiis laboribus fatigentur, aliquoties per diem haustum vini vel etiam aliquid salubris vini adusti sumant. Reliqua omnia, quae interdum commendantur, v. gr. si quis res aromaticas mandere potusve aromaticos sumere vellet, animum in periculum infectionis nimis intentum reddunt et hoc ipso facilitatem infectionis potius forte augent quam deminuunt. Neque illud consilium, quod Vering (l. c. p. 237) proponit, ut nimirum sacerdos, antequam in aegroti cubiculum intret, fenestras vel portas aliquamdiu aperiri et aëra suffitu corrigi iubeat equidem non sine conditione approbare possum. Id quidem optimum est consilium, quatenus non solum sacerdos, verum etiam aegrotus et adstantes inde utilitatem capiunt. At non bene id consultum esset, si sacerdos inde nimio quodam timore et singulari sollicitudine cavere velle videretur, ne ipse contagione inficeretur. Id certe non solum aegrotum circumstantesque valde deprimeret, sed etiam scandali occasionem dare posset. Quod utrumque evitare sacerdos debet, ideoque quum sanitatis tuendae gratia ventilatione illa opus fuerit, eam ita fieri curabit, ut non propter se ipsum, sed pro aegroto et circumstantibus optanda ac necessaria esse videatur.

Subitae morborum incursiones, in quibus etiam homo medicarum rerum imperitus primum auxilium aliquod ferre possit, hae fere sunt:

Syncope, animi deliquium. Est haec subita quaedam vitalium actionum deminutio, quae interdum fere ad asphyxiam accedit. Ordinaria et proprie sic dicta syncope, quacum mentis alienatio coniungitur, ab asphyxia hoc solum plerumque differt, quod ictus cordis et pulsus permanent. Et ipse etiam pulsus saepe tactu percipi non iam potest. Sed in syncope tamen remedia ad vitam refocillandam adhibita plerumque citius effectum habere solent.

Sufficiet, si aegroto, postquam recenti aëri expositus est et vestimenta, quae eum coarctare videntur, resoluta sunt, simplicia remedia irritantia adhibeantur. Simplicissimum et semper fere efficax medium hoc est, ut aquam scypho infusam magno cum impetu in torpentis faciem proiicias vel etiam aquam cum vi quadam in faciem siphone inspergas, id quod, siphone deficiente, etiam ore bene fieri poterit.

Apoplexia. Apoplecticus non alio transportandus sed illico *in eodem loco* ita commode reponendus est, ut caput et pectus paulo altius collocentur, quam reliquum corpus, tum vestes omnes nimium adstringentes solvantur et aër recens, etiamsi frigidus sit, admittatur. Deinde compressae frigidae, si fieri potest glacie vel aqua glaciali praeparatae, capiti impone, hydrias aqua calida impletas pedibus suppone, emplastra synapeos suris admove, curcubitulas siccas cervici femoribusque applica. Poteris ceteroquin etiam clysterium irritans parare ex solutione salis popularis (vulgaris) vel saponis etc. Cavendum tamen est, ne ullo modo sanguis mittatur, nisi quis adsit huius rei peritus.

Hernia incarcerata pessimi ominis est res atque paulisper neglecta mortem inferre potest. Incarceratio dignoscitur eo, quod ipsa hernia tactu dura est et valde intensa nec facile potest reponi. Atque aegrotus interim, quum alvum deicere nequeat, vomitat imo saepe vel ipsa excrementa vomitione reddit, quibus quippe naturalis exitus occlusus est. Experimentum fieri potest herniae reponendae. Quod ut fiat, aegrotus dorso incubans planus iaceat ac femora nonnihil inflectat. Nunquam committendum, ut statim hernia desuper comprimatur. Ita herniam manibus complectere, ut summi digiti contineant eiterque comprimant illam herniae partem, quae ad corpus (porta herniae) proxima adiacet. Tum pressione non tamen nimis valida, in superiorem ac summam herniae partem facta, experire omnia, quae in sacco hernioso continentur, paulatim extremis digitis in cavum ventris reprimere, quum inde a porta herniae ad summam herniae partem lente progrediendo totam denique herniam comprimas. Quodsi inter haec hernia emollitur, id signo est, rem ex parte iam prospere evenisse atque ad continuandum idem

experimentum invitat. Repositionem plane et feliciter perfectam esse ex eo cognoscitur, quod hernia tota vel eius pars extrema cum sonitu quodam glociente sive cucuriente subito per portam relabitur. — Caveto, ne nimium herniam comprimas et contundas quippe quum hac agendi ratione facile gangraenosa fiat. Quodsi repositio non succedat aut eam tendandi voluntas vel animus deficiat, saltem ea ratione collocandus erit aegrotus, uti supra diximus. Deinde ad emolliendam herniam, huic superimpone calida cataplasmata (ex farina seminum lini, ex pane aqua calida emollito; linteola aqua ferventi imbuta). Saepe etiam consultius erit, ut cataplasmata calida et perfrigida commutentur, itaque per unam horam calida, per alteram frigida cataplasmata vel glaciem herniae superimponas. Non raro accidit, ut hernia incarcerata hac ratione tractata sponte relabatur. Quodsi aegrotus nondum utatur fascia ad retinendum intestinum, haec, simulatque hernia reposita est, statim comparanda est.

At nunquam profecto, neque in his, neque in ceteris conditionibus vitae periculosis committendum est, ut medicum e vestigio arcessere negligas, antequam ipsemet necessitate coactus auxilium ferre incipias.

Tentationes epilepticae. Epilepticus praecedente interdum signo, saepe sine ullo indicio praevio, graviter corruit, nervorum distentionibus et omnium fere musculorum convulsionibus laborat, distorquet oculos, dentibus fremit, aegre animam trahit eamque saepe graviorem ac sonantiorem, neque sui compos est. Pollices in manus reflexi sunt, spumas aegrotus in ore agit, frons saepe frigido sudore perfunditur, tota hominis species, ut nemo ignorat, tristissima sane visu est. Ipsa harum incursionum frequentia omnis generis consilia ac media suggessit, quibus tentatio praecideretur vel tolleretur. Equidem diuturna ac multiplici experientia edoctus atque observatis permultis epilepticis in hospitiis mente captorum, quorum mihi cura demandata est, hoc firmissime asseverare audeo, omnia ista media adeo commendata nihil iuvare, nonnulla etiam damnum afferre, veluti quum, id quod est usitatissimum, pollices effringantur. Aegrotus ita collocandus erit capite nonnihil elevato, ut, quum saepe vehementer

convulsionibus iactetur et in omnem partem manus impetuose circumagitet, nullo modo laedatur; deinde solutis vestimentis, quae nimium astringant et remotis quoad licet circumstantibus, placide exspectandum est, donec ipsa tentatio transierit. Quodsi in vehementi dentium fremitu et maxillarum contractione contingat, ut res aliqua elastica, cortex, lignum, corium vel simile quidpiam inter dentes interponatur, hoc utique linguae et dentibus praesidio erit. Plerumque post pauca minuta, quae raro ad horae quadrantem protrahuntur, saepe etiam post pauca dumtaxat momenta, quum nervorum distentiones remittantur, aegrotus ab imo pectore cum gemitu inspirationem ducens ac plerumque torpentibus oculis cum stupore prospiciens a mentis alienatione ad se revertitur. — Ipsa incursio raro mortem infert et fere iis tantum, qui per longius tempus frequentissimis tentationibus laborabant. Cuius conditionis homines, quum hodiedum fere omnes in hospitiis mente captorum vel aliis institutis detineantur, extra illa instituta raro accidit, ut quis in ipsa incursione epileptica moriatur. Utrum eiusmodi incursio mortem illatura sit, e vestigio diiudicari nequit; infertur autem mors aut per apoplexiam aut per suffocationem, ergo plerumque tum, quum incursio diutius protrahatur.

Hystericae convulsiones multo frequentius quam incursiones epilepticae causam exhibent, cur sacerdos arcessatur. De quibus quum supra iam dixerim, hoc loco id repetam, easdem fere nunquam ipso impetu mortem inferre. Supra, quum de epilepsia tractanda dicerem, illud utique praecepi, ut nihil prorsus ageres; sed hoc loco in convulsione hysterica consulo, ut scyphum aquae forti cum impetu in aegrotae faciem profundas. Id enim, quum vires et corporis et animi aegrotae, quippe quae saepe sui compos maneat, improvisum nec opinatum occupat, fere semper ad convulsionem abbreviandam valet quam plurimum.

Sanguinis profluvia (haemorrhagiae) *ex organis internis,* sed extrinsecus apparentia.

a. *Vomitus sanguinis* (haematemesis). Sanguis e ventriculo (i. e. stomacho) *evomitus* fere semper subniger, sordidus, coagulatus, ac ciborum reliquiis commixtus apparet. Sed etiamsi

sanguis evomitur e rubro candicans ac liquidus, tamen a sanguine per tussim e pulmonibus eiecto distinguitur eo, quod sanguis evomitus spumas non agit, pulmonum sanguis spumare solet. Ut certius cognoscas sanguinem e ventriculo provenisse, iuvat etiam scire, utrum aegrotus antea morbo ventriculi laboraverit et inter vomendum pressionem, dolorem, calorem ventriculi sentiat.

Removendae sunt vestes angustae; curandum est, ut aër cubiculi frigidulus persistat, ut aegrotus corporis animique tranquillitatem custodiat et rectam diaetam (vivendi legem) exactissime observet. Dari aegroto potest aqua mixta aceto vel succo citreo, aqua frigida vel glacialis; sed modicae sint portiones haustusque exigui, quos raro bibat; vel etiam particulae glaciei, si forte adsit, deglutiendae dentur. Saepe vero vel minimae harum rerum portiones ventriculum denuo ad vomendum et sanguinem mittendum excitant, quare tum quidem nihil adhibendum est praeter remedia externa, ut sunt: compressas frigidas, glaciem ventriculo et alvo superimponere, dum membra conservantur calida; magna emplasmata synapeos admovere brachiis et cruribus, lavare manus pedesque aqua fervida cum sale vel farina synapeos commixta.

In *haemorrhagiis intestini,* quum sanguis per alvum eiicitur, eadem fere remedia applicanda sunt; et in his etiam clysterium frigidissimum sed exiguum (6—8 cochlearium cibariorum) plurimum valet. Etiam profusiones sanguinis ex haemorrhoidibus in intestino recto, si diutius durant vel nimia sanguinis copia (plus quam 10—12 cochlearia cibaria) defluit, inhibeantur oportet. Clysteria frigida, compressae frigidae, sessiones in aqua frigida, sacci glaciem continentes.

b. *Sanguis e pulmonibus profluens,* qui per tussim eiicitur, semper est ex candido rufus, plerumque spumosus, aut purus aut pituitae et puri commixtus. — Situs corporis esto perfecte tranquillus pectore *altius posito, neque loqui* aegroto licebit. Diaeta severe observanda erit, potus refrigerantes, quos supra diximus, praebeantur et sal popularis siccus subtiliter contusus detur in mensura parvi cochlearis singulis semihoris. Cucurbi-

tulae siccae pectori tergoque, cataplasmata synapeos femoribus surisque admoveantur, pedes aqua fervida cum farina synapeos laventur. Si res peius se habet, etiam frigidae compressae vel glacies pectori imponendae sunt.

c. *Profluvium sanguinis e naribus* interdum adeo copiosum est, ut vitae periculum adducat. Aegrotus erecto corpore sedens ne tussiat neve nares emungat, sed aquam frigidam, aquam cum aceto vel alumine vel ferro sesquichlorato soluto admixto per nares subducat. Si res gravior fuerit, obturandae sunt nares quam altissime, in eas immissis spongiolis, linteolis complicatis, linteis carptis,[1]) quae aceto vel solutione aluminis imbuta sunt. Optimum quoque remedium, quod illico et facile adhiberi potest, in eo positum est, ut molles narium partes per 5—10 minuta comprimantur. Sed tam in hac re quam in obstruendis naribus observari debet, utrum forte sanguis in collum defluat. Quod si fiat, illa etiam narium foramina, quae in fauces exeunt, ex ipso ore obstruenda sunt (sed a *solo* medico id fieri potest).

d. *Profluvium sanguinis uterini* (metrorrhagia). Magnae copiae sanguinis e genitalibus feminis emmissae cito vitae periculum afferre possunt, quamvis certum sit, mulierem eiusmodi profluvia sanguinis ex his organis effusi facilius utique sine vitae periculo sustinere. Haec profluvia periculosa fere semper cohaerent cum graviditate et puerperio. Et primis quidem graviditatis mensibus occurrunt in abortu vel saltem periculum abortus secum afferunt. Posterioribus graviditatis mensibus signa atque effectus sunt placentae praeviae (vitiosae alligationis placentae uterinae, hepatis uterini), quae conditio tum matri tum proli maxime periculosa est. In utroque casu illud primum requiritur, ut mulier sine ullo motu tranquilla iaceat, capite profundius depresso et, si fieri possit, regione sacrali altius nonnihil elevata. Praeterea compressae frigidae inferiori alvo admoveri possunt, et

[1]) Fasciculus lintei discerpti ad longitudinem collectus in media parte filo lineo vel serico stricte circumligatus (a Francogallis „Bourdonet“ appellatus) maxime ad hoc idoneus est. Extremae fili circumligantis partes, quum ex cavo vel vulnere, cui immissus est fasciculus, demittantur, postea fasciculus iisdem apprehensis atque eductis facillime removetur.

vagina, si fieri potest, bombacio vel linteis refercienda videtur. Ceterum semper quam citissime medicus arcessendus est.

Etiam inter et post ipsum partum nimia sanguinis copia profundi potest, unde mulier cito in periculum adducatur. Huiusmodi profusionum causa in eo reposita est, quod uterus emissa iam prole aut omnino non aut non satis contrahitur. Atque huius contractionis impedimentum plerumque illud est, quod placenta aut tota aut partim utero affixa vel in parte uteri incarcerata est. Eadem hic corporis collocatio requiritur, quam modo supra descripsimus. Frigidas compressas alvo imponere etiam hic opportunum erit, at vero vaginam farcire nihil iuvabit, sed solummodo detrimentum afferre poterit. Optimum est, ipsum uterum, qui per ventris parietes tangi potest, manu conterere ac subigere, quo ille excitetur ad se contrahendum. Denique in hac conditione, etiamsi vel ipsa obstetrix praesens est, cito advocari medicus debet, ubiprimum aut sanguinis profusio solito copiosior vel longior est aut ipsa mulier debilitatur.[1])

III. DE PRIMIS REMEDIIS IN LAESIONIBUS ADHIBENDIS.

1. *Contusiones.* His adhibe compressas frigidas, glaciem, aquam plumbi.

2. *Vulnera sanguinem mittentia.* In his maxime necessarium est, ut maior sanguinis profusio sistatur et vulnus ab initio recte alligetur. In alligando vulnere ante omnia curae sit munditia perquam magna. Quare omnis vel lotio vel vulneris purgatio facienda est vel aqua pura vel, ubi fieri potest, tenuiter carbolisata (1 %). Praeterea vetera vestimenta nullo modo, quantum potest, insumenda sunt; saltem debent ea, quae vel vulnus ipsum vel proximas partes attingunt (velut texta linea aut xylina, Gaze, Watte), esse nova, nondum usitata, admodum pura. Praecipua remedia, quae ad *sistendum sanguinem* etiam

[1]) Profluvia sanguinis in placenta praevia et vehementiores sanguinis fusiones post foetum emissum saepe mortem cito inferunt; quare in eiusmodi eventibus sacramentorum administratio minime retardanda est.

ab homine rerum medicarum imperito adhiberi possunt, haec sunt: *compressio* (sive directa in ipsum vulnus facta, sive in arteriam, qua sanguis ad vulnus adducitur), *frigus* et remedia *styptica* quae dicuntur.

Compressio directa in ipsum vulnus facta, hoc est in extremas laesarum venarum, quae sanguinem mittunt, partes, sufficiens erit, quum sanguis lente, non instar radii profunditur, id est quum venulae et arteriolae capillares vel venae ad superficiem positae etiam maiores, denique parvae arteriae sanguinem fundunt. In his profusionibus aliquamdiu linteola aqua carbolisata humida eademque frigida sed bene expressa vulneri applicabis. Postquam per aliquod temporis spatium has compressas, quae compressione simul ac frigore multum valent, adhibueris, compressam saepius complicatam sive siccam sive humidam vulneri impone atque satis arcte alliga, ita ut horum linteolorum compressione sanguis sistatur. Quodsi sanguis ex profundissimo vulnere profluit, saepe ipsum vulnus texto (lineo) tenuissimo (Gaze) vel xylino (Watte) referciatur necesse erit, si nemo adsit, qui oras vulneris penitus coniungere et consuere possit. Quodsi etiam hac ratione in maioribus vulneribus sanguis sisti non potest, v. gr. in maioribus lacerationibus, laniationibus, in aliquorum membrorum abruptionibus, ipsa arteria comprimenda erit, quae sanguinem ad vulnus adducit. Atque haec compressio fere semper necessaria est, quoties ex laesis maioribus arteriis sanguis profluit. Arteriae sanguinem plerumque per intervalla ac per radios proiiciunt, venae tum solum per radios eiiciunt, quum sanguis delabi prohibetur, veluti quum venae in sanguinis missione astringuntur. Arteriae sanguinem a corde in ceteras corporis partes diffundunt; quare ut sanguinem ex eis profluentem impedias vel sistas, illarum stirpes sanguinem adducentes supra vulnus ad cor versus comprimendae et praeligandae sunt. Has autem praeligare nemo poterit, nisi ipse medicus. Itaque in subito auxilio ferendo aliud sane praestare non poteris, quam ut comprimendo arteriam occludas, donec medicus advenerit. Fac igitur supra vulnus versus cor quaeras arteriam, quam ictibus pulsantem digito sentire et dignoscere facile poteris.

Sed quia arteria compressione occludi non potest, nisi apprimatur ad partem aliquam subiacentem, quae resistat, illa loca eligenda sunt, ubi arteria et cuti propinqua et simul ad os aliquod proxime accedit vel huic imponitur. [1]) Utrum compressio

[1]) En tibi loca aditu facillima et maxime opportuna ad comprimendas arterias:

Arteria carotis communis. Hanc prope laryngem reprime in aversum et paululum introrsus ad columnam vertebralem. Per longum tempus id quidem fieri non poterit, quum inter arteriam et columnam vertebralem interiaceant nervi gravissimi, qui compressionem sustinere nequeant. Ita agendum, quum sanguis ex facie profluit.

Arteria maxillaris externa in margine antica crassi musculi masseteris contra marginem maxillae comprimatur. Id fiat, quum sanguis ex parte inferiori faciei emittitur.

Arteria temporalis 50—75 millim. ante angulum meatus auditorii ad os temporale apprimatur. Huius arteriae rami in temporibus et fronte praesertim apud homines seniores facile tactu sentiuntur, imo etiam oculis apparent atque commode versus cranium comprimuntur. In profluviis sanguinis ex fronte et anteriore parte capitis capillati.

Arteria subclavia. Humero fortiter in partem anteriorem producto supra claviculam altius comprime hanc arteriam versus primam costam. Hoc difficile est neque bene procedit, nisi in hominibus macilentis. Id tentabis, si sanguis funditur ex fossa axillari et humero.

Arteria axillaris. Inter primam et mediam ex tribus partibus fossae axillaris, in priori margine pilorum compressionem exerce versus caput humeri, brachio interea elevato. In profluvio sanguinis ex brachio vel manu.

Arteria brachialis comprimitur in interiore parte brachii superioris, in interiore margine ventriosi musculi bicipitis, ita ut pressio dirigatur ad os brachii superioris. Haec arteria, quantum fieri potest, tactu distinguenda est a propinquis nervis maioribus, quos ne simul comprimas attende. Atque ita agendum, quum antibrachium sanguinem mittit.

Arteria radialis. Haec 1—2 centim. supra carpum, 1 centimetrum a margine antibrachii ad radium apprimitur. In hoc loco vulgo pulsus tentatur. Sic fiat in profluvio sanguinis ex parte radiali manus, ex pollice et indice.

Arteria ulnaris. Hanc ad ulnam apprime in illo loco, qui 1—2 centim. distet a carpo et 1 centim. ab ulnari margine brachii. Id pertinet ad missionem sanguinis ex parte ulnari manus, ex digito medio, annulari et parvo.

Arteria cruralis. Locus ad hanc comprimendam idoneus in inguina positus est, fere intermedius (sed paululum introrsus) inter corpus medium et eminentem spinam ossis ilei. Hanc ut ad os pubis apprimas, dirige compressionem in partem aversam et sursum. Etiam in inferiore loco, usque

arteriam occludere valeat, optime cognoscitur ex eo, quod sanguinis missio vel saltem missio per radium desinit. Instrumentum maxime opportunum ad faciendam illam compressionem est ipsa manus vel potius summi digiti. Digitus arteriam sentit eamque certo ac seiunctim comprimere potest, ita ut reliquas partes non comprimat aut contundat. Neque fortior esse debet pressio, quam ad sanguinem sistendum requiritur; nimia enim pressio et aegroto mox intolerabilis videbitur et iuvantem citius fatigabit. Quodsi propter defatigationem, necessariam transportationem vel aliam quamlibet causam compressio illa digitis fieri non potest, tum utique adhiberi debent Turniqueta quae appellantur. Plerumque desunt quidem Turniqueta ad hoc facta, quorum pulvinus (pelotta) arteriae superimponitur et quae bacillo vel cochlea constringuntur. Nihilominus ex rebus, quae certe ubique inveniuntur, facile eiusmodi Tourniquetum pro necessitate imitari poteris. Arteriae primum impone aut convolutam fasciam, penicillum linteum parvum quidem sed crassum, fasciculum lintei discerpti, aut denique tuber solani vel lapillum linteo involutum; tum haec laxe circumliga fascia superimposita vel sudario complicato, nodo tamen ipso bene facto; deinde ex parte ab arteria aversa sudario vel fasciae interpone bacillum, quo circumacto sudarium vel fasciam lente tamdiu astringas, donec sanguine subsistente cognoscas arteriam clausam esse. Postremo bacillum

---

ad alterum trientem femoris, haec arteria oppressioni patet; sed hic non tam tuto id fieri potest et tum solum debet, quum regio inguinalis aut hernia aut alio tumore obstructa est. Hoc spectat ad profluvia sanguinis in crure et pede.

Minus certa est compressio:

Arteriae tibialis posticae, quae pone versus malleolum interiorem posita ad hunc apprimenda est, quum planta pedis sanguinem mittit;

Arteriae dorsalis pedis, iuxta tendinem musculi extensoris pollicis pedis in latere externo positae, quum illam ad ossa tarsi pedis apprimere volueris in profluvio sanguinis e dorso pedis.

Arteria aorta descendens (ventris) et *arteria iliaca externa,* remissis utique ventris tegumentis, ad columnam vertebralem et ossa pelvis versus comprimendo occludi possunt, hoc tamen difficulter sustineri solet. In profluvio sanguinis ex inguina, perinaeo, natibus.

per longitudinem parallelo ordine ad membrum dirigitur ac devincitur. Semper consultum est, ut ad cutem tuendam bacillo chartam densatam, si forte habes, aut tabellam aliquam etc. supponas. In extrema autem necessitate etiam hac ratione Tourniquetum imitari poteris, ut sudario complicato vel fascia circa membrum laxe constricta, ipsum nodum pro pulvino sive pelotta arteriae superimponas ac deinde ope bacilli fortius astringas, uti dictum est. Certum, si vulnus parvum fuerit, huic ipsi imponi Tourniquetum potest, quo vulnus simul cum arteria occludatur.

Quodsi elasticum aliquod cingulum ad manum habes, sufficit ad sanguinem sedandum, supra vulnus illud membrum pluries circumligare ac ne Tourniqueto quidem opus est.

Quaecumque autem fuerint huius generis Tourniqueta, perdiu eadem imposita esse non debent, quoniam circulationem in extrema membri parte prohibent.

Quodsi pro necessitate cogente interim sistendus est sanguis profluens ex arteriis antibrachii et manus aut cruris et pedis, Prof. Esmarch [1]) (Adelmanum secutus) commendat, ut strictissime flectatur articulatio cubiti vel coxae, quo simul stirpes arteriarum ita inflectantur, ut sanguinem non amplius transmittant. Inflexum igitur antibrachium quam arctissime ad brachium superiorem, femur strictissime inflexum ad corpus alligetur. Hac ratione, si alia remedia ad sistendum sanguinem desint, uti poteris, sed nimia illa articulationum inflexio diu tolerari non potest.

Iamvero prohibita sanguinis effusione vulnus simpliciter et laxe circumligetur, haec autem ligatura diligenti observatione inspiciatur, ne forte clam sub ea sanguis denuo fluere incipiat.

Ad sistendum sanguinem ex minoribus vasis profluentem iam sufficient ipsum *frigus,* frigida linteola compressa, glacies, mixturae gelidae. Frigus enim vasa ad se contrahendum adeo incitat, ut minora prorsus occludantur. — Veteres quidem aliud fere remedium ad sanguinem sistendum non cognoverunt praeter

---

[1]) Esmarch, Dr. Fr., Handbuch der kriegschirurgischen Technik. Hannover 1877. Carl Rümpler.

ignem, ferrum ignitum, cultros candentes, immersionem in picem ardentem, vel fervens oleum etc. Ardente illo calore hodiedum rarissime opus est, neque unquam idem adhibendus est, nisi ipso medico.

Remedia styptica interdum ad sistendum sanguinem sufficiunt, qui ex vasis minoribus profluit, sed omnia illud afferunt detrimenti, quod vulnus, cui applicata fuerint, non iam per primam intentionem ut medici loquuntur, sed per solam purulentationem possit sanari. Quare semper consultius est, ut vulnere quam minime inquinato sanguinem sistas vel cohibeas, donec medicus veniat. Sunt autem remedia styptica haec quae sequuntur: farina, pulvis carbonis lignei, alumen, acidum tannicum (tanninum), argentum nitricum, plumbum aceticum, ferrum sesquichloratum solutum, ferrum et cuprum sulphuricum, alcoholium, acidum sulphuricum dilutum, oleum terebinthinae etc., inter quae excellunt alumen, ferrum sesquichloratum solutum (liquor ferri sesquichlorati), tanninum, oleum terebinthinae. Haec igitur remedia aut soluta in vulnus infunduntur, aut textum lineum vel xylinum (Gaze vel Watte) solutione illa madefactum vulneri superimponitur, aut remedia sicca sive pura sive pulvere gummi arabici intermixta vulneribus insperguntur, aut bombacium vel linteum discerptum illo pulvere conspersum ad loca, quae sanguinem mittunt, applicatur atque emplastro adhaesivo vel fasciis firmatur.

Sanguis profluens ex punctione ab hirudine facta certissime sistitur, quum diu ac patienter particulam fungi igniarii, vel si necessitas ita fert, solum digitum vulneri imprimas. Infantibus profluvia ex eiusmodi punctionibus saepe summum periculum afferre possunt. Si pars membri infra punctionem posita non ita firma sit, ut pressioni satis resistat, cutem in loco punctionis apprehensam et complicatam tamdiu comprime, donec sanguis sistatur.

Sunt quorum corpora tam singularem ac propriam habeant conditionem, ut profluvium sanguinis vel ex minimo saepe vulnere eos facile ad mortem adducat. *Haemophili* appellantur. Generatim quidem haec conditio rarissime invenitur et plerumque per

generationem transfunditur. Quodsi compertum habeas, hominem eiusve familiam hac affectione morbosa laborare, necesse est validissimum adhiberi remedium (vinctura per compromissionem) ad sanguinem sistendum, atque e vestigio vocari medicum, licet levior sit violatio vel sponte sanguis effluat, nam in eiusmodi morbo *quaelibet* effusio sanguinis plena discriminis est.

3. Si per vulnera forte aliquod *corporis cavum apertum* fuerit, non solum id curandum est, ut sanguis sistatur, sed praeterea inquirendum, utrum fortasse aliquid rerum, quae cavo includuntur, v. gr. pars intestini prolapsa sit. Quidquid id est, aqua tepida leniter carbolisata ab omni sorde, si qua est, purgatum summa lenitate reponendum erit. Deinde vulnus, impositis antea linteolis compressis, insuper emplastris adhaesivis vel fasciis ita saltem claudatur, ut pars prolapsa retineatur. Si forte cerebrum denudatum est, cave digitis illud tentes, sed levissimum fortasse linteum leniter capiti imponas, quo aura et pulvis arceatur.

Plane necessarium est, ut vulnera, quae praecipuum aliquod cavum corporis perforant, illico quam perfectissime occludantur. Sed idem in carnosis quoque vulneribus quae dicuntur, magni momenti est, propter sequentem inflammationem et curationem. Quare quotiescunque iam sedato vehementiore sanguinis profluvio licebit, cura habeatur, ut oris vulneris accurate inter se coaptatis ipsum vulnus claudatur atque haec clausura firmetur per vincturam certam quidem et bene adaptatam, non tamen nimis astrictam.

4. *In fractura ossium* summa res haec est, ut membrum fractum occupet situm commodissimum et tranquillissimum, quo dolorosa frictio et maior dislocatio extremarum partium ossis ac venarum laceratio evitetur. Eiusmodi aegrotus si transportandus est, lecto imponatur vel feretro aut ita saltem collocetur, ut membrum fractum bene suffulciatur et ipse locus fracturae ab omni motione deffendatur. Opportunum quoque est, ferulas factas ex charta densata, tenui tabella lignea, stramine (fasciculos straminis longos arcteque circumligatos) utrinque ad membrum fractum antea nonnihil correctum apponere atque ita fasciis

vel pannis firmare, ut inter eas membrum plane immotum resideat. Ratio maxime opportuna, quippe quae compressas frigidas imponi semper permittat, haec videtur esse, ut fractum membrum collocetur inter saccos oblongos arena leviter plenos, quales et citissime et ubique parari poterunt. Quantum licebit, dum medicus venit, compressas frigidas, glaciem, linteola aqua plumbi tincta impone. Idem faciendum est in *luxationibus*.

5. *Adustiones*. Adustiones levioris momenti sive primi gradus ut aiunt, in quibus cutis solum rubore suffunditur et bulla non exoritur, nihil aliud requirunt, nisi ut aër arceatur et cutis adipe oleove oblinatur. Etiam in adustionibus secundi gradus, quum bullae exurgunt, caput est, ut aër arceatur. Quem in finem pars adusta bombacio involvitur vel pannis, qui oleo, adipe, oleo iecoris aselli, vitello ovi etc. tincti sunt, contegitur. Quodsi prope est officina medicamentorum, optime ad pannos perliniendos vel tingendos adhibetur linimentum quod dicunt calcariae, quod ex aequalibus partibus olei lini et aquae calcis consistit. Ne bullae rumpantur diligenter cavendum est; post 12—24 horas opportunum est, easdam tenui acu pungere atque evacuare.

Adustiones late patentes, licet ad secundum gradum pertineant, vitae periculum afferunt; quodsi ultra tertiam partem totius superficiei corporis haec secundi gradus adustio extenditur, status est periculosissimus ac saepissime ad mortem perducit.

Adustiones his etiam graviores, quibus aut cutis plane deleta est, aut profundiores quoque partes deletae vel etiam in carbones redactae sunt, ante omnia propter vehementes dolores compressas aqua frigida imbutas postulant. Vehementissimo dolore nonnihil sedato optime adhibentur compressae infuso florum chamomillae imbutae.

Adustionibus plane similes sunt laesiones per substantias causticas factae, sed in his illud semper ante omnia curandum est, ut materiae causticae removeantur, quae forte cuti adhuc inhaerent. Patet autem per se, hanc purgationem minime efficiendam esse per multam abstersionem et frictionem, sed per simplicem ablutionem. Aqua sane citissime praesto est. Magna

igitur copia aquae continuo renovando partem laesam abluere, remedium est semper maxime opportunum ad materias causticas removendas vel saltem diluendas. Pro vario genere materiae causticae variae quoque substantiae ad aquam opportune addi poterunt, quae impediant, quominus ista amplius noceat. Quodsi laesio effecta est per acida, acidum sulphuricum (vitriolum), acidum nitricum, aquae ad abluendum destinatae immisceatur creta alba, sapo, magnesia, soda (natrum carbonicum), natrum bicarbonicum; sed modicum tantum harum rerum adde, ne forte haec remedia ipsa cutem denuo erodant. Si laesio facta est per calcem vivam vel lixiviam, aliquantulum aceti in aquam infunde. Ne tamen his rebus requirendis tempus perdatur, statim partem laesam copiosa aqua abluas.

IV. DE PRIMIS REMEDIIS VENEFICIORUM.

Veneficii suspicio non sine ratione fovetur, quum quis post usum alicuius cibi vel potus subita aegrotatione corripitur, quacum coniungitur taedium, vomitus, dolor ventris et stomachi, dyspnoea, constrictio faucium, vehemens singultus; aut vertigo, syncope, torpor, somnolentia, perturbatio sensuum, deliria, convulsiones, debilitationes. Conditiones priori loco enumeratae generatim magis indicant, veneficium effectum esse venenis causticis acribusque; quae posteriori loco posita sunt, ex venenis narcoticis exoriuntur. —

Ac primum quidem auxilium in eo est, ut quam citissime venenum ex stomacho et intestino removeatur, idemque diluatur atque involvatur. *Evacuationem stomachi* per vomitum iuvabis propinando aquam calidam, aquam salsam, aquam calidam cum butyro mixtam, magnam copiam lactis tepidi, aquam, cui ova admixta sunt (1 ovum pro $^1/_4$ litro aquae); titillando fauces. — Medicamenta vomifica nemo praescribere audeat, nisi ipse medicus.

Deiectio veneni ex intestino efficitur clysteriis, potu olei, olei Ricini. (Tum solum, quum veneficium phosphorio productum esse constat, oleum dare non licet.)

Involutio (acris) veneni obtinetur sumpta aqua, cui magna sacchari copia admixta est, aqua cum albo ovi permixta, albo ovi puro, lacte, mucilagine hordei vel avenae etc.

Atque multis in casibus praeter haec, quae diximus, nihil est quod quis praestare possit, quum saepissime genus veneni non cognoscatur atque homo medicae artis inscius minime ex specie signorum quae apparent, genus ac naturam veneni coniicere possit.

Quodsi materia cognoscitur, qua veneficium ortum est, saepe vita servari potest praebendo res quasdam innoxias, quae partim facile parantur, partim ubique habentur.

Veneficiorum, quae frequentissime occurrunt, causae sunt:

Arsenicum; acidum arsenicosum (arsenicum album), vel variae compositiones cum acido arsenicoso (arsenicum sulphuratum rubrum et flavum, pigmenta viridia cum arsenico praeparata etc.).

Antidotum: Ferrum hydricum in aqua (ramenta ferri, limus ex cupa refrigeratoria, qua fabri ferrarii utuntur). Singulis $^1/_4$—$^1/_2$ horis 1—2 cochlearia cibaria hauriantur. Contra sales arsenicosos maiorem etiam vim habet ferrum hydrico-aceticum in aqua et sumendum singulis $^1/_4$—$^1/_2$ horis 1 cochlear parvum. Sed hoc remedium in sola officina medicamentorum haberi potest, quum ramenta ferri in qualibet officina ferraria cuiuslibet vici inveniantur. Si haec, quae diximus, forte desint, etiam utilis est magnesia usta in aqua (30 gramm. pro 150 gramm. aquae) per cochlearia cibaria sumpta. Sal Glauberi (natrum sulphuricum), 15 gramm. ad evacuandam intestinum.

Plumbum; cerussa, saccharum plumbi seu Saturni, acetum plumbi.

Antidotum: Sal Glauberi, sal amarum (magnesia sulphurica), 50 gramm. in 150 gramm. aquae, singulis $^1/_4$—$^1/_2$ horis 1 cochlear cibarium. — Oleum Ricini, clysteria.

Cuprum; aerugo, quaedam genera coloris viridis.

Antidotum: Magna copia albi ovi, pulmentum paratum ex 7 partibus limaturae ferri cum florum sulphuris partibus 4 in aqua vel syrupo. Multum bibatur.

Mercurius; Sublimatus (Hydrargyrum bichloratum), Mercurius dulcis seu Kalomelas (Hydrargyr. chloratum mite), Cinnabaris (Hydrargyr. sulphuratum rubrum).

Antidotum: Album ovi, farina cum aqua commixta, limatura ferri in syrupo, lacte, aqua sacchari.

Argentum: Lapis infernalis (argentum nitricum).

Antidotum: Multum bibere sal populare quam plurimum in aqua solutum.

Iodum et kalium iodatum.

Antidotum: Magna copia pultis ex farina triticea vel amylo paratae, aqua sacchari, magnesia.

Phosphorium: fissulae igniariae.

Antidotum: Magnesia in aqua ut supra de arsenico dictum est. (Non tamen oleum.)

Alkalia caustica: Kali causticum, natrum causticum (lixiviae), calcaria caustica, ammonium causticum (spiritus ammoniaci causticus).

Antidotum: Succus mali citrini, aqua limonata acida, acetum. — Oleum amygdalarum.

Acida caustica: acidum nitricum, hydrochloratum seu muriaticum (aqua fortis), sulphuricum (oleum vitrioli). Utrum haec veneficium produxerint, facile coniicies ex eo, quod os et fauces quasi per adustionem alba vel flava apparent; simul iunguntur dolores colli, tussis, vomitus membranaceus, saepe etiam deiectiones sanguine mixtae.

Antidotum: Magnesia carbonica et usta, creta alba, aqua saponata, lac.

Tartarus stibiatus seu emeticus.

Antidotum: Infusum fortius caffeti vel thei viridis, tanninum (acidum tannicum) 1 gramm. singulis horis.

Venena plantarum. Narcotica et acria venena plantarum v. gr. acidum hydrocianicum, Opium, Morphium, Cocainum, Digitalis, Belladonna, Hyoscyamus, Nicotiana, Datura, Nux vomica eiusque alkoloidum: strychninum, Lactuca virosa, Bryonia alba, Chelidonium, Paris quadrifolia, complura Ranunculi species, Conium maculatum, Cicuta virosa, Daphne, Arum maculatum,

complures itidem species Euphorbiae, Lolium temulentum, Solanum nigrum, Colchicum, Secale cornutum, Helleborus, Ipecacuanha, Scylla, fructus Colocynthidis, oleum Crotonis, boleti et fungi virosi.

Antidota: Acetum, acidum citricum, succus mali citrini, tanninum, infusum fortius caffeti. In magna debilitate 15—30 guttulae spiritus ammoniaci caustici in caffeto, in aqua vel in mucilagine avenae, hordei, gummi. Frigida clysteria additis 10—20 guttulis ammoniaci caustici soluti. Excitatio vomitus, cucurbitulae applicatae cervici et tergo per columnam vertebralem. Frigidae compressae et infusiones in capite.

Venena animalia. Per ventriculum ingeruntur venena farciminis, casei, piscium, cantharides et venenosa conchilia. Haec efficiunt inflammationem ventriculi, vomitum, purgationem; conchilia quoque cruptiones urticarias in cute et in membranis pituitariis provocant, adeo ut vel fauces tumore plane claudantur; cantharides stranguriam producunt.

Antidota: Ammonium carbonicum, ammoniacum causticum solutum, caffetum nigrum, succus mali citrini, vinum, potus mucosi. — Compressae frigidae in capite.

Morsus, punctiones vel aliae infectiones per venenosa, morbosa animalia. Venena vesparum, muscarum, viperarum, venenum pustulae malignae, venenum rabiei caninae.

Antidota: Lavare partes laesas aqua carbolisata, aqua chlori (chloro soluto), aqua calcaria, aceto, aqua forti diluta, acido acetico, ammoniaco caustico soluto, sapone nigro, lixivia; siccas cucurbitulas imponere ad sanguinem sugendum. Sed exustiones, exsectiones, vel etiam cauterisationes per lapidem infernalem, aquam fortem, kali causticum soli medico sunt relinquendae. Si vulnus positum est in aliquo membro, hoc interdum supra vulnus ita arcte constringere iuvabit, ut venenum non possit latius per sanguinem diffundi. Sed haec arctissima membri constrictio non licet adhibere, nisi agatur de certis, vehementibus vitaeque periculosis veneficiis, ut de rabie canina, de veneno viperarum, quia pars membri tantopere astricta, periculum est ne gagraenosa fiat. — Ad usum internum aegroto

praebeantur eadem remedia, quae supra enumerata sunt contra venena animalia per ventriculum inducta.[1])

Quodsi in homine rabies canina appareat, cura habenda est, ne aegrotus aut sibi aut aliis noceat: Omnia instrumenta et omnia supellectilis genera, quae partes acutas habent, removenda sunt et si necessitas id postulet, aegrotus colligandus erit. Particulae glaciei immittantur in os aegroti atque efficiendum, ut hic inspiret modicas quantitates chloroformii (40—60 guttulae sudario infunduntur et sic ori apponuntur). — Attendas etiam velim ad detestabilem istam superstitionem, qua censent interdum homines licere, eiusmodi aegrotos pulvinis impositis suffocare, sanguinem iis detrahere, vel aliis mediis efficere, ut iidem citius a tristissimis suis tormentis liberentur.

---

[1]) Sub iudice lis est, quid illae vaccinationes valeant, quas medicus Pasteur contra rabiem adhibuit. Equidem censeo easdem inutiles, atque etiam fortasse vel periculosas vel nocivas.

L. DE CURA INFIRMORUM.

Plerique homines non utuntur ea fortunae conditione, ut, si quis ex sua domo in morbum inciderit, infirmarium sive custodem arcessere possint, qui ad curandos et custodiendos infirmos arte eruditus atque instructus sit. Extra ipsa nosocomia rarissime quidem cura infirmorum ab eiusmodi hominibus suscipitur, qui in hoc officio bene versati fuerint; plerumque aegroti a suis propinquis curandi et custodiendi sunt.

Atque haec infirmorum cura gravissimi sane momenti est neque adeo facilis, quum plurima in se officia contineat. Sine diligenti infirmorum cura vel ipsa ars medici in plerisque aegrotationibus nullum fere effectum habere solet. Ac primum quidem ad huius curae partem diaeteticam quod spectat, illud observandum est, quod sanae diaeteticae sive victus cultusque negligentia, licet corpori firmo nullum forte damnum afferat, infirmo tamen corpori semper gravissima detrimenta inferat necesse est. Neque enim qui corpore aegrotat vim habet resistendi rebus noxiis, neque ei facultas est easdem a se pro arbitrio suo removendi. Homo bene valens nihil comedit, nisi quod sibi bene cedere videtur, idem coelum et aëra salubrem petit, quoties aër in cubiculo vitiatus est, vestimentis tempestivis modo calidioribus modo frigidioribus prout placuerit utitur. Infirmus contra quaecunque praebentur comedit, vel res appetit nocivas, necessitate coactus, suo iure privatus in lecto ac cubiculo retinetur, denique circumstantium arbitrio obnoxius est. Hi enim aegroto victum praescribere, ipsius et omnium rerum munditiem curare, eundem in lecto collocare, tegere, levare, vertere debent. Quid? quae-

cunque medicus praecipit, num potest ipse aegrotus per se bene ea observare atque exsequi, etiamsi velit? Minima forte difficultas fuerit in sumendis medicamentis, quamquam aegroti bene multi vel in hac re negligentes sunt ac suum sequuntur iudicium, sed saepe etiam nimium debilitati aut ex febri delirantes sese ipsi iuvare nesciunt. Apud plerosque infirmos alii providere debent, ut quidquid nocivum sit arceatur; officia et administrationes variae, quibus corpus infirmi indiget, partim aliis auxiliantibus partim a solis circumstantibus praestari possunt ac debent etc. etc. Sed licet tam manifesta sit huius curae infirmorum necessitas ac gravitas, licet plerique hominum saepius per vitam necessitate coacti hanc curam suscipere, neque eam quidem alienis hominibus, sed iis adhibere debeant, quos carissimos habent, licet, inquam, haec omnia neminem fugiant, nihilominus tamen paucissimi profecto inveniuntur, quibus vel in mentem veniat, ut de gravissimis officiis curae infirmorum aliqua ratione sese instruant. Hanc nimirum rem neque scholae nostrae tradunt, neque iuvenes coniuges cognoscunt. Hinc incredibilis illa negligentia et ignorantia, hinc illa vere stupenda indocilitas in rebus huc pertinentibus, hinc denique illi defectus non raro perniciosissimi, qui in his rebus committuntur. Hinc etiam explicatur, cur tam tenaciter perseverent multae de morbis et infirmorum curatione opiniones absurdae ac superstitiosae, quae ineptiis et fabellis anilibus, circulatorum rationibus, fraudibus denique omnem aditum patefaciunt. Neque vero ruri solum haec inveniuntur aut apud pauperes, sed quivis medicus etiam inter oppidanos degens affirmare poterit, inter homines cuiuslibet conditionis a mendico paupere ad argentarium ditissimum eandem sibi impugnandam esse ignorantiam, eadem praeiudicia, easdem perversitates. — Ceterum mihi propositum non est, ut hoc loco de omnibus rebus singillatim disseram, quae ad curam infirmorum spectant. Satis mihi erit ea potissimum capita proferre, quae efficiant, ut sacerdos curae infirmorum aliqua ratione possit invigilare, prudenti admonitione passim gravissimis malis occurrere, consiliis suis magnum commodum misero aegroto parare, forte etiam aliquando, pertinaci stultitiae sese firmiter opponens,

alicuius vitam servare. Primum igitur illud semper curandum est, ut ad quemlibet hominem, qui aliqua ratione graviter aegrotare videatur, medicus arcessatur. Hoc sacerdos semper postulet necesse est, quare omnes preces reiiciat, quibus homines ab ipso, quippe medicum declinaturi, consilium et medicinam exposcant. Homines enim solvendo pares, ut hoc agant, non raro avaritia ducuntur; apud pauperes et eos, qui non solvendo pares sunt, satis saepe negligentia et pigritia efficit, ut auxilio medici, quod sine impensis eis praebetur, non satis mature utantur itaque sua culpa committunt, ut morbus ab initio quidem non ita gravis insanabilis evadat tristemque exitum habeat.

Alterum quod fixum ratumque esse debet, ut cura infirmorum fructum habeat, est: *accuratissima* observatio *omnium* ordinationum medici. Quodsi homines nonnunquam satis esse existimant, „medicinam“ hausisse, id non soli semper socordiae, inobedientiae, negligentiae tribuendum videtur. Inveniuntur enim non raro vel inter homines cultioris conditionis, qui iniucundas et sumptuosas quidem omnis generis medicinas per hebdomadas et menses diligentia vere affectata deglutiant, sed praecepta simplicissima, quae modicissimi quidem pretii sed saepe gravissimi momenti et a medico in hunc morbum ad necessariam diaetam observandam accommodata et praescripta sunt, incredibili socordia negligant. Atque hoc primum est vitium, quo in ordinationes medici peccatur. Alterum vitium eo committitur, quod praeter medici praecepta etiam alterius cuiusvis periti vel imperiti consilia exquiruntur vel audiuntur, eademque aut simul cum medici praeceptis observantur aut potius his studiose praeferuntur. Hac ratione medicum fallere satagunt, dum se ipsos decipiunt. Quotidie fere audias homines eiusmodi, qui malevolo ore dicant: „Ego quidem non sumpsi, quae praescripsit »medicus«. Hoc et illud adhibui, feci; hinc mihi restituta est bona valetudo.“ Esto, nemo contra disputabit; sed illud equidem vobis, qui ita loquimini, minime concedam, ut quae vos agatis „medicum“ celetis; vel potius (ut clare dicam, quod sentio), quidni aperte „medico“ eloquimini in hunc fere modum: „O bone vel, si placet, stulte medice, tuas me curaturas esse »medicinas«

minime credo, quare domi maneas quaeso nec mea causa plus laboris exhaurias velim.“ At vero, ita si agerent isti homines maligni, postea carerent nimirum voluptate coram vel per alios medico occinendi, ipsius medicinam nihil effecisse; neque amplius haberent, in quem revolvere culpam possent, si res non ex sententia cesserit! Neque etiam hoc adeo rarum est, ut quis per curationem medici mortuus esse perhibeatur, quamquam revera aut ipse sibi aut circumstantes ipsi mortem „curaverunt“. Quodsi necessarium id esse ducerem, hoc loco illustrationis gratia possem plurima huius rei exempla tum iocosissima tum tristissima enarrare.

Tertia res gravissima, sine qua infirmorum cura fructum suum non afferet, in eo posita est, ut qui illam curam suscipiunt, animo recte disposito sint. Patientia, moderatio, abnegatio, comitas, hilaritas animi necessario in quolibet infirmario inesse debent. Si quis aegrotum amice commiserari noverit, si iucunde recreare, omissis in sermone omnibus rebus ingratis, si blande consolari et exhortari studuerit, certe aegroti animum ita afficiet, ut ille dolores minus aegre ferat. Nunquam infirmarius gravabitur, aegroti votis peramanter et hilari vultu obsecundare, quamdiu ille nil desiderat, quod valetudini noceat; neque moleste feret aegroti irritabilitatem et repugnantiam et querelas; neque taedio affici debet, quod propter res levissimas perpetuo aegrotus sibi negotium facessat, imo vero sustineat aequo et tranquillo animo necesse est, si aegrotus ipsum offendat eiusque curam et officia praestita non solum non approbet, sed etiam contemnat. Denique infirmarius studeat oportet, ne vel humillima officia et res sordidissimas fastidire et reformidare videatur.

Fateor equidem, saepe rem esse difficillimam, ut quis in cubiculo aegroti animum aequum conservet. Quotidianae vitae sollicitudines ac molestiae, aegritudo ac dolor de morbo carissimi propinqui ut bono animo simul omnia sustineantur, heroico labore saepissime opus est. Nihilominus eo nitendum est, ut communem hanc tristitiam aegrotus quam minime sentiat.

Etenim infirmus singulares ac proprios habet maerores, dolores, angores, atque omnium hominum quidem sed maxime

propinquorum est providere, ut ille onere suo quoad possit levetur et a consueta communium molestiarum societate eximatur. His igitur in universum praemissis iam singularia quaedam de cura infirmorum exponemus.

I. DE CUBICULO INFIRMI.

Abusus ille quo fit, ut in peiore ac minori domus cubiculo homines dormire soleant, saltem tum, quum quis graviter aegrotet, prorsus tollatur necesse est. *Optimum* cubiculum destinandum est in usum infirmorum. Quod, si fieri potest, ita amplum sit, ut aegrotus vel singuli aegroti aëris spatio fere 35—40 metrorum cubicorum utantur. Sit aëri pervium, lucidum, quoad potest apricum atque a viarum et platearum strepitu remotum. Ne sit in eodem cubiculo supellex superflua, vestimenta, res aliae, quibus cura ordinis ac munditiei difficilis efficitur. Imprimis sella pertusa, vas nocturnum, pelvis subditicia, res aegroto substratae, lintea quibus usus est et ligamina sordida ex infirmi cubiculo removenda et in contiguo aliquo cubili reponenda sunt.

Puritas aëris in primis conservanda est. Quare non solum e vestigio removenda sunt omnia excrementa, omnes essentiae acris odoris, flores, suffimenta etc., sed etiam diligentissime aër in cubiculum immittendus est. Hoc optime fit fenestris cubiculi contigui patefactis, quoniam hac ratione infirmus ipsi aëri permeanti minime exponitur. Quodsi alterum cubiculum contiguum non sit, secure ipsius cubiculi, in quo est aegrotus, fenestras aperire poteris, modo hunc a perflatu aëris munias sive interposito aliquo praesidio sive eo, ut tegumenta lecti sive linteum super eius caput inducas vel sublevata teneas. Sed quoties tempestas turbulenta et aspera est, vel quum infirmus lavatur, deligatur aut ingentem sudorem effundit, fenestras aperire non licet.

Calor in cubiculo infirmi idem sit, qui sanis etiam hominibus convenit, id est fere 15 ° R. In morbis pectoris et pro senioribus infirmis calor ascendat licet ad 16—17 ° R.; contra

in typho, variolis, etiam in febri scarlatina aliisque morbis valde febriculosis, tempore quo ferbis vehementior est, calor sufficiet 13—14 ° R. Fornace si cubiculum calefaciendum est, id provideatur necesse est, ne fornax vaporem carbonarium effundat (ne igitur valvulas habeat) neve lectus propius ad fornacem accedat.

Neque unquam lectus infirmi ad fenestram collocetur. Optime ita ponitur, ut caput ad parietem collocetur atque ex omni parte lectus adiri possit. Quodsi per longitudinem ad parietem collocandus est, ab hac tamen distet saltem 50—100 centimetr. oportet.

Ut aër quantum necesse est humidus conservetur, id quod in morbis pectoris saepe opportunum est, vas aliquod amplum et apertum aqua plenum (v. gr. quo ad lavandum utimur) in cubiculo ponitur aut tabulatum nonnunquam conspergitur aqua recenti vel aqua cum aceto vinove albo commixta. Hoc ultimum si fit, gratissimum est per aestatem quando calor increvit. Multa autem pavimenti madefactio evitanda erit, praesertim quum tabulatum non oleo tinctum est.

Ad *illustrandum* infirmi cubiculum quod spectat, cavendum est, ne solis fulgentior lux recta in lectum incidat, sed per vela semper paululum temperetur. Hoc tamen ne ita intelligas velim, ut fenestras crassis vel obscuris velis aut etiam solidis foriculis contegendas putes, quippe quibus vera obtenebratio efficiatur. Eiusmodi obscuratio rarissime tantum v. gr. pro maniacis et in quibusdam oculorum morbis videtur commendanda. In usum nocturni luminis optime accenditur simplex illa ac consueta lucernula cubicularia, hoc est ellychnium cereum, quod lamella et cortice sustentum oleo innatat. Quodsi maiori luminis copia opus fuerit, ne accendas velim magnas lampades, minime vero eas, quae petroleo nutriuntur, sed adhibe candelam ceream vel stearinam. Etenim et istae lampades et candelae sebatae nimium vaporant.

Omnis strepitus non necessarius in cubiculo infirmi evitari debet. Quodsi ad cubiculum purgandum supellex ex uno in alium locum removetur, si porta aperitur, clauditur, si quis per

cubiculum incedit gravibus calceis, magnis calcibus, calceamentis strepentibus, haec et similia totidem fere ictus esse possunt, quibus infirmi irritabiles nervi vehementer percutiantur; quae omnia a circumstantibus, adhibita aliqua cura, facile evitantur. Huc etiam pertinet nimia et non satis submissa conversatio in cubiculo infirmi; ac praecipue evitetur detestabilis ille modus *susurrandi* ea, quae observanda vel dicenda videantur, quae ipse infirmus ignoret. Audiet hic tamen etiamsi saepe non intelliget, atque eius imaginatio vehementer excitata eum huc adducet, ut ex verbis tam imprudenter prolatis pessimas, licet saepe falsas, coniecturas faciat. Quaecunque infirmum latere debent, nullo modo in cubiculo infirmi dicantur; haec aut taceas oportet aut alio loco dicas.

II. DE LECTO INFIRMI.

Saepissime quidem liberum non erit, aliquem lectum seligere. Quodsi optio datur, considerandum est, ferreos lectos aëri magis pervios esse (et magis defensos ab insectis), sed ligneos esse calidiores. Stratum lecti optimum illud est, quod ex setis equinis vel alga conficitur. Sed etiam saccus stramenticius bene completus superimposito tegumento exhibet stratum satis opportunum, quod ruri vel apud pauperes fere solum invenitur. Lecti plumis differti nimium calefaciunt facileque efficiunt, ut cutis atteratur cubando (vide infra); his igitur ne utantur nisi iam seniores et debiliores infirmi, etiam forte ii, qui his a pueris assueverunt. Cervicalia plumea esse non veto, sed in doloribus capitis praestat, ut equinis setis impleta sint. Pro opertorio lecti maxime opportune adhibentur tegumenta. Culcitae plumeae et lecti plumis differti calidiores sunt. Per hiemem, ne calor deficiat, potius fornace accenso cubiculum modice calefiat et in lecto, antequam infirmus transponatur, ob eandem causam ponantur urcei lapidesve calefacti.

Vela lecto praetenta inutilia sunt, atque impediunt, quominus aër infirmo proximus satis immutetur.

Infirmis debilioribus valde opportunum est, in adversa lecti parte vel in tecto cubiculi manubrium fune valido affigere, quo apprehenso infirmi facilius se ipsi erigere possunt.

Quotiescunque lectus aut lintea mutanda sunt, infirmus graviter aegrotus quam lenissime in alia lecto vel grabato vel in sella pulvillis forta collocetur et bene cooperiatur oportet. Sin autem alius lectus vel quodpiam stratum opportunum non adsit, tamen facile in hunc usum saccus stramento effarciri poterit.

Quum vestimenta mutantur, summa quoque cautione opus est. Ima corporis velamenta bene exsiccata eademque sive prope fornacem suspensa sive adhibitis calidis urceis bene calefacta sint necesse est. Neque unquam infirmus plane denudari, sed id semper provideri debet, ut quam minima corporis pars eademque brevissimo tempore nudata sit. Quum v. gr. brachium aegrotat, tum hoc primum vestibus induendum esse patet, quia secus inflecti ac moveri violentius deberet. Quodsi membrum aegrotum v. gr. brachium moveri nullo modo licet nec potest, tunica vel indusium inde a manica usque ad partem humeralem et collarem omnino dissecanda et assutis vinculis copulanda est.

Magnum infirmo beneficium confertur, si quotidie lavatur. Quamquam forte non omnes infirmi quotidie hoc fieri admittunt, haec tamen generalis tibi regula esto, ut quotidie infirmos laves eorumque comas capillos. Neque hoc postremum omittendum erit, nisi in morbis cerebri et typho. Etiam in lavando id providendum est, ut unam partem prius omnino abluas pannoque calido vel saltem non frigido abstergas, antequam madefacias alteram. Denique monendus est infirmus, ut saepe os expurget, nisi forte debilior fuerit, nam tum tu ipse ei os recenti aqua eluere debebis. Quum infirmi deiectiones et urinam in lectum inviti emittunt, tum ne omittas stratum aliquod aquam non transmittens (linteum ceratum, gummi illitum) subter linteum lecti substernere eidemque superimponere pannum pluries complicatum. Praeterea per se patet, huiusmodi aegrotos toties esse lavandos, quoties inquinentur. — In morbis diuturnis praesertim seniorum hominum, et quum febres malignae longius protrahuntur, facile nascitur sic dictus decubitus.

III. DECUBITUS, GANGRAENA EX DECUBITU.

Summi momenti simulque facillimi fere negotii est, impedire, ut hoc malum ne oriatur. Hunc in finem necessarium est, tum infirmi situm et lecti lintea saepe mutare, tum partes corporis periculo huius mali expositas diligenter inspicere ac lavare. Praeterea providendum est, ne tunica interula vel linteum quaecunque aegroto substrata sunt, in plicaturis componantur. Quodsi infirmi aut inquieti sunt, aut prae mentis alienatione vel nimia debilitate ad inferiores lecti partes delabuntur, consultissimum erit, ut linteum omnino explanatum acubus ad ipsum stratum affigas. Ad delapsum et decubitum praecavendum etiam iuvat plurimum, si pellis cum crinibus tenuitur confecta substernatur (ita tamen, ut cauda pellis ad caput lecti spectet), praeterea annuli gummosi aëre impleti vel aqua calefacta ad 26—28° R., denique pulvini vel integri lecti ex gummi confecti, aëre vel aqua impleti. Quodsi desunt eiusmodi res ex gummi confectae, coronam quoque stramineam linteo vel molli coria circumvolutam ita aegroto suppones, ut pars cutis decubito fors inficienda vel iam infecta non ipsi coronae annulove sed eius cavo medio insideat itaque ab omni pressione defendatur. — Cervicalia ne altius erigantur, quo infirmus minus delabatur.

Quotidie, et in iis infirmis, qui gravi febri laborant vel mente alienati sunt, saepius etiam per diem eas corporis partes inquirere oportet, quae cubitu facilius atteruntur. Sunt autem hae partes praecipue regio sacra et coxae, deinde scapulae et calces. Simulatque in cute apparent maculae rubrae, dolorosae, tumescentes (qui est levissimus gradus decubitus), lavandae sunt aqua, vino adusto, aceto, vino, orbiculis mali citrini, albo ovi, aut compressae cum aqua plumbi imponendae. Ad eiusmodi lavationes optime adhibetur mixtura ex ovo bene peragitato cum $^1/_4$ litro vini adusti.

Iamvero de his rubris maculis medicus, quamprimum visitatum redit, edocendus est, multoque magis si peior est decubitus species, quae proprie gangraena appellatur, quum scilicet

maculae rubidae apparent, vel caeruleae vel nigrae et plerumque pustulae excitantur, quae materiem coloris sive clari sive sordidi et plerumque foetidam continent. His imponuntur compressae tinctae vino bono, vino camphorato vel spiritu camphorato sive cum sive absque aqua plumbi, vel tinctae solutione Kreosoti, solutione calcariae chloratae (10—15 gramm. in $^1/_2$ litr. aquae), solutione acidi carbolici (5 gramm. in $^1/_2$ litr. aquae vel 5 gramm. in 200 gramm. olei olivae vel olei lini). Plurimum etiam valent cataplasmata e plumbo tannico, quae facile potes ipse praeparare, si ad decoctum percolatum ex 2 partibus corticis quernei in 8 partibus aquae addideris 2 partes aceti plumbi. Ut colligas praecipitatum, adhibe subtilem pannum, per quem aqua defluat et pulte, quae remanet, ad cataplasmata paranda utere. —

Ut purus conservetur aër, pravi odores supprimantur et periculum contagionis removeatur, ut odor cadaverinus ac venenum cadaverinum exstinguatur, varia adhibentur media desinfectiva quae appellantur. Atque praeter cetera magno semper in pretio habebantur fumigationes.

IV. FUMIGATIONES.

Qui medicae artis imperiti sunt, hac in re multum praestare non poterunt, nisi medicus singularia quaedam ordinaverit. Eae enim res, quas homines imperiti ad fumigandum adhibent ut sunt conuli odorati, pulvis odoratus etc., quum superent tegantque illae quidem pravos odores, minime vero eos exstinguant, sed insuper novis sordibus aëra inficiant, omnino reiiciendae sunt. Eae autem fumigationes, quae fieri solent, v. g., acidi nitrici et sulphuris, hominibus intolerabiles sunt.

Optimae communiter fumigationes sunt fumigationes chlori, quae pro adiiunctis variis etiam vario gradu moderandae sunt.

Nisi medicus in singulari casu aliud praeceperit, haec observare satis erit:

1. *In cubiculo infirmi.* Si ob aliquam rationem *opus* est

fumigatione ad aëra in cubiculo purgandum, pone in angulo ab infirmo remoto situlam cum aqua, in quam iniecta sunt 300—500 gramm. calcariae chloratae eamque nonnunquam baculo ligneo peragita. Poteris etiam lacinias lintei solutione calcariae chloratae imbutas in filo extenso suspendere.

Summa iucunditate afficit simulque odorem corrigit vel saltem aëra non corrumpit vaporatio aceti vel aceti aromatici, quod aut in pavimentum spargitur, aut in candentes laminas lapidesve infunditur, aut subiecta lampade spiritu vini nutrita lente defervescit; illud tamen observandum est, hac re solummodo odorem corrigi, non exstingui miasmata neque aëra vere purgari.

2. *In atriis* ac *vestibulis* quum paulo copiosius fumigare chlorum liceat, variis in locis collocare poteris catillos vel patellas fictiles, in quibus singulis pones 50—100 gramm. calcariae chloratae, cui interdum aspergas acetum, acidum sulphuricum dilutum vel acidum muriaticum.

3. Post *mortem infirmi* eadem fumigatio, quam modo n. 2 descripsimus, aut alia illa multo fortior adhiberi potest, quae a Guyton-Morveau nomen duxit. Illud solum moneo, hanc fortiorem chlori fumigationem non tantum hominibus atque animalibus noxiam imo periculosam esse, sed etiam metalla atterere ac plantarum colores destruere. Quum praeterea id plerumque agatur, ut utensilia, lecti, vestimenta ab infectione purgentur, eadem ita collocanda et suspendenda erunt, ut eorum largissima superficies fumigationi pateat, quare v. gr. strata in cultro collocabis, vestimenta medio in cubiculo satis explicata suspendes.

Atque illa fumigatio, quae a Guyton-Morvaeu nomen habet, hac ratione instituitur, ut fiat primum commixtio sicca 1 partis Mangani hyperoxydati pulverizati cum 3 partibus Natrii chlorati, ad quam paulatim affunditur mixtura ex 2 partibus acidi sulphurici concentrati (vitrioli) et 2 partibus aquae.[1]) Totum super

[1]) Commixtio acidi sulphurici cum aqua a pharmacopola rectius fiet, aut si ipse facere eam malueris, lentissime acidum sulphuricum in aquam infunde, non tamen ordine inverso, quia secus commixtio explodere et graviter te vulnerare potest.

lucerna nocturna ponitur vel in ferventi arena. — Pro spatio 35 metr. cubicorum sufficiunt: Natr. chlorati 25 gramm., Mangan. hyperoxydati 8 gramm., acid. sulphur. 15 gramm. itemque aquae 15 gramm. Facta mixtura portae ac fenestrae quam arctissime clauduntur et vapores chlori ex commixtione nascentes per aliquot horas vim suam exercere permittuntur, postea multum aëra in cubiculum bene immittere necesse est.

Alia fumigatio fortis atque praesens etiamnunc est illa, quam omnes novimus, sulfurea. Colloca medio in loco, quem purgare vis, maius aliquod vas (patinam, ollam) fere usque ad summum marginem arena impletum. In hac arena impone patellam parvam cum glebis et ramentis sulfuris; quae cum accenderis, statim abeas. Ianuae et fenestrae per 12 fere horas bene clausae maneant, quamdiu fumi sulfurei cubiculum pervadant; tum aëre immisso statim cubiculum usui esse potest. Omnes autem materiae igni concipiendo aptae a sulfure accenso 1 — $1^1/_2$ metrum remotae maneant. Sufficiunt 15 grammata sulfuris ad 10 metra cubica purganda.

Lintea aliaque vestimenta atque deiectiones vix unquam fumigationibus possunt purgari certo cum successu; neque enim sola fumigatione fieri potest, ut minima illa corpora, quae auctores et propagatores contagionum dicuntur, maxime bacilli exstinguantur. Summis enim caloribus demum perimuntur vel acerrimis remediis, quae ad unum omnia etiam hominibus periculum afferunt et magna tantum cum prudentia adhiberi possunt. Sic acidum carbolicum 5 pro centum, Sublimatum 1 pro mille deiectionum purgandarum esse debet. Lintea in 5 % carbolici maceranda sunt, nisi forte adest machina, qua caloribus expurgantur.

Item pavimenta et tota supellex, quae excrementis inquinabatur, etc. tum demum dici possunt certo purgata, cum iis quas supra dixi, materiis rite fuerint tractata.

Manus ut ab infectione liberes, lava solutione acidi carbolici (10 gramm. in 250 gramm. = $^1/_4$ litro aquae) vel Kali hypermanganico soluto (5 gramm. in 500 gramm. = $^1/_2$ litro aquae). Kali hypermanganicum etiam utilissime adhibetur ad

os eluendum, postquam infirmis vel cadaveribus contagiosis aut cadaveribus iam tabescentibus occupatus eras (1 gramm. in 500 gramm. aquae).

Quum cadaver valde foetet, conspergi potest calcaria chlorata, vel contegi laciniis solutione calcariae chloratae vel acidi Carbolici (5%) tinctis.

V. DE CIBO AC POTU INFIRMI.

Communiter quidem medicus, saltem gravius aegrotantibus accurate praescribet, quid manducare et bibere necesse sit atque liceat, quare tum quidem illi, qui curam infirmi habent, id solum diligenter caveant oportet, ne nimium aut parum aut alienum quid praebendo peccent. Atque huius rei negligentia et detrectatione factum est, ut complures infirmi in morbum relapsi mortui sint. Nonnullis in regionibus, ut in carissima mihi urbe patria, propinqui atque amici existimant, se debere aegroto varia afferre „cupedia“. Ut optima illi quidem fide agant, magnoque forte etiam aegrotum gaudio afficiant, attamen saepe eidem grave damnum inferunt. Ac maxime parvis liberis hic pravus mos periculosus est.

Cibi et potus ne sint iusto calidiores neve frigidiores, nisi forte aliud conceptis verbis praescriptum fuerit.

Infirmus cibum sumat corpore quantum licet erecto, quare manu aut pulvinis tergum suffulciendum erit. Cibi commodius collocantur in aliqua tabula, ante infirmum super lecto posita, quam in mensa iuxta lectum, id quod valde incommodum est. Infirmis magnopere debilitatis cibi in os inserendi sunt idque lentissime fiat, minime festinanter. Inter bibendum infirmi caput debet attolli, vas potorium (scyphus) non nimis plenum sit vel etiam cochleari potus praebeatur. Infirmis mente alienatis, desipientibus, delirantibus, amentibus praebenda sunt vasa, quae nec dentibus frangere, quibus nec sese violare possint. Sed hic animadverte, plures potus ut aquam limonatam acidulam etc. in vasis metallicis diu conservari non debere.

Saepe medicus, praesertim in morbis chronicis, cibos ac potus non adeo accurate et sigillatim praecipit, sed eos seligendos relinquit circumstantibus; quare non supervacaneum erit, hoc loco quaedam praemonere de cibis, qui faciliores aut difficiliores sint ad digerendum et potus aliquos magis opportunos indicare.

I. *Alimenta ab animalibus provenientia.*

Facile digeruntur: Pulli columbini et gallinacei, caro vitulina, *assata* caro iuvencorum (boum), *ramenta subtilia* pernae crudae (*geschabter* roher Schinken, *raclures de iambon cru*) et carnis fumo siccatae, caro vervecina macra (mageres Hammelfleisch, *du mouton maigre*), caro ferina, exceptis avibus feris; ova mollia vel etiam cruda. Huc etiam pertinet lac non tamen nimium, serum (Molken, *petit-lait*), lac ebutyratum et lac concretum seu oxygala (saure Milch, *du lait aigre*), ad quam adde nonnihil sacchari et cinnamomi et cura, ne sit frigidior. — Inter pisces faciles sunt ad digerendum: coctus pleuronectes maximus sive turbott (Steinbutt, *turbot*), gadus aeglesinus (Schellfisch, *aiglefin*), esox lucius (Hecht, *brochet*), salmo fario (Forelle, *truite*), perca, (Barsch, *perche*), denique recentes harengae. — Ostreae, si non plures quam 3—6 in eadem refectione sumuntur.

Difficile digeruntur: cocta caro bubula, suilla, quaelibet farcimina, anates, anseres, gallus indicus (Truthahn, *dindon*), aves ferae, iecur assatum, artocreata (Fleischpasteten, *pâtés de viande, rissoles*); ova dura, assata, ex butyro fricta (Rührei, *oeufs brouillés*); omnia genera casei. — Inter pisces: omnes qui assantur, carpio cyprinus (Karpfen, *carpe*), tinca (Schleihe, *tanche*), salmo sive fumo siccatus sive recens (Lachs, Salm, *saumon*), anguilla et plerique pisces marini. — Praeterea conchylia, limaces et cancri inter cibos numerantur, qui difficile concoquuntur.

II. *Alimenta a plantis provenientia.*

Facile concoquuntur: Recentes dauci (Mohrrüben, *carottes*) et ciceres seu pisa (Erbsen, *pois verts*), asparagus (Spargel, *asperges*), spinacia (Spinat, *épinards*), cynarae (Artischocken, *artichauts*), brassica botryitis (Blumenkohl, *choux-fleurs*), bulbi solani

(Kartoffeln, *pommes de terre*) cocti, contriti, oryza (Reis, *riz*), grana sago, grana deglupta (Graupen, *grésil*), polenta avenacea (Hafergrütze, *gruau d'avoine*), panis albus.

Difficile concoquuntur: Omnes species brassicae (ex his facilius brassica illa digeritur, quae concisa et sale condita est, Sauerkohl, Sauerkraut, *chou-croûte*), legumina (Hülsenfrüchte, *légumes*), betae albae (Weisse Rüben, *raves*), cepae (Zwiebeln, *oignons*), cucumeres, boleti (*champignons*), tubera (Trüffel, *truffes*); placentae, cibi farina parati, panis niger. — Etiam lactucae (Salat) si amariores excipis, difficiles sunt ad digerendum.

Poma communiter salubriora sunt, si coquuntur. Etiam non cocta facile digeruntur: fraga (Erdbeeren, *fraises*), fructus rubi Idaei (Himbeeren, *framboises*) et ribium (Johannisbeeren, *groseilles*), pruna Armeniaca (Apricosen, *abricots*), amara cerasa (saure Kirschen), uvae, mala, mala citri aurantium Sinensia (Apfelsinen, *oranges de Chine*) sed bene matura. — Difficile digeruntur: pira, mala persica, pruna, bromelia ananas, fructus oleacei ut nuces, amydalae. Item poma omnia saccharo vel aceto condita difficilia sunt ad concoquendum.

III. *Potus.*

Potus refrigerantes: aqua, aqua glacialis, fontes qui continent acidum carbonicum (quales sunt Selters, Roisdorf, Birresborn in Eiflia), aquae limonatae cum saccharo et succis fructuum (cum succo mali citrini, mali Sinensis aurantium, [1]) syrupo rubi Idaei, coagulo ribium etc.), decocta aqua pomorum (Obstwasser communiter vocant, si torrefacta mala, pira, vel pruna in aqua coquuntur).

Potus cremori similes, nutrientes, excitantes: lac, emulsio ex amygdalis facta (Mandelmilch; 30—40 gramm. amygdalarum dulcium cum modica aqua in mortario teruntur, inter terendum $^1/_2$ litro aquae paulatim addito, dein totum percolatur

[1]) Mala citrina et Sinensia primum praeciduntur, dein eorum succus in aquam exprimitur. Perperam agunt, qui hos fructus in orbiculos concisos cum cortice in aquam immittunt, quia oleum aethereum simul e cortice extractum facile dolores capitis affert. Etiam semina ipsa horum fructuum, quum sint amara, infirmis salutaria non sunt.

et modicum saccharum adiicitur), ptisanae ex oryza vel hordeo factae, (Gerstenschleim, *orgeat;* 40—80 gramm. hordei vel oryzae in 1 litr. aquae decocta), cremor avenae excorticatae (Hafergrützenschleim; 1 cochlear avenae excorticatae decoquitur in $^1/_2$ litro aquae), cremor Salep (1 ligula pulveris Salep in 1 litro aquae coquitur et modicum saccharum et cinnamomum additur), aqua cum pane decocta (200 gramm. panis buccellati i. e. bis cocti, Zwieback, vel panis nigri cum 1 litr. aquae decocta et percolata), cui adduntur in litrum 2—3 cochlearia succi mali citrini, 1 cochlear aquae cinnamomi, vel $^1/_4$ litr. vini Rhenani aut rubri cum saccharo. Aqua ovis permixta (1 ovum bene peragitatum cum 3—4 ligulis sacchari in $^1/_2$ litro aquae) vino addito vel non addito. Ius carnis elixae *(bouillon)* bene paratum; extractum sive infusum carnis, quod Angli vocant Beef-tee (Fleischthee; 500 gramm. validae sed macrae bubulae, reiecto omni adipe, subtiliter concisae primum $^1/_2$ litro aquae frigidae per 2 horas imbuuntur, deinde lento igni per 3—4 horas cocta, despumantur, percolantur). — Aqua cum quarta vel dimidia parte vini, cerevisia levis, vinum purum ex ordinatione medici.

Quandocunque vinum permittitur sed haberi nequit, eius loco potum parare poteris ex 20 gramm. vini ex secali optime facti (guten Kornbranntwein, bon eau-de-vie de grain) aut 25—30 gramm. spiritus vini rectificati cum 1 litro aquae et 40—50 gramm. syrupi vel sacchari. Poterit ad hanc vini adusti commixtionem etiam pro 1 litro addi luteum duorum ovorum cum saccharo bene contritum.

VI. DE USU AC RATIONE PRAEBENDI MEDICINAS.

Nihil in curandis infirmis tam exiguum est, ut attentionem nostram non mereatur; quam ob causam etiam de praebendis medicinis quaedam notanda sunt, quae forte aliquibus leviora aut per se manifesta esse videantur.

Atque illud quidem summi momenti est, ut medicina ea mensura et eo tempore praebeatur, quibus praeceptum est. Ad

hoc autem requiritur etiam, ut signum illud ampullae affixum, in quo usus ac ratio medicinae praebendae praescripta legitur, minime rescindatur, id quod sane iusto saepius fieri solet aut ab infantibus aut ab aliis, qui hoc signum infantibus ad ludendum tradunt. Hac ratione graves errores ac pericula oriri possunt.

Cibi ita parari debent, ut tempus, quo infirmus vescitur, non proxime accedat ad usum medicinae. Dimidia saltem hora inter usum cibi et medicinae interiecta sit necesse est, nisi forte aliquando ex medici ordinatione medicina simul cum cibis sumenda fuerit.

Ampulla, quae medicinam continet, obturamento clausa esse debet neque propius ad fornacem neque directo solis lumini obnoxia collocari. Interim etiam iuvat, medicinas usui interno destinatas omnino separatas conservare ab illis medicamentis, quae externe adhibentur. Quamquam enim, ut lex est in Borussia, varia remedia eo discernuntur, quod remedia interna albis schedulis signata, externa coloratis schedulis notata esse debent, nihilominus tamen fieri potest, ut permutentur atque hac ratione gravissima damna afferantur. Cochlear, quo medicina praebetur (quod praestat esse porcellanicum, cochlear medicum sic dictum), post usum semper ablui aut in aqua deponi debet. Quum medicina praebenda est, cochlearis manubrium vide ne teneas fere extremum ac summum, sed eius partem inferiorem, quo minus facile effundas. Omnibus cochlearibus multo praeferenda sunt vascula quaedam vitrea, in quibus mensura cochlearis et maioris et minoris aliquo signo adnotata est. Minimo pretio in omnibus apothecis possunt emi, quae ut ubique in usum recipiantur, valde consulendum.

Ad guttas bene numerandas iuvat primum obturamento humectasse ampullae collum usque ad marginem, quia secus liquidum subito praecipitatum effluit nec guttae numerari possunt. Nunc veneunt in officinis pharmaceuticis novae lagenulae, quarum obturamenta ita instructa sunt, ut liquorum guttulas tantum singulas effluere permittant. Pleraequae medicinae guttatim praebendae satis acres sunt ideoque consulitur, ut in modica aqua vel aqua saccharata aut saccharo instillatae praebeantur.

Pilulae, quae saepe medicinas male sapientes continent, quum siccae deglutiri a multis non possint, praebeantur in $^1/_2$ cochleari aquae, aut in pane vel pruno enucleato, vel oblata (crustulo signatorio) involutae; hac enim ratione plerumque facilius deglutiuntur.

Medicati pulveres aut sicci in lingua ponuntur ea conditione, ut infirmus aliquid aquae statim bibat, aut in cochleari cum aqua miscentur, aut in oblata involvuntur. Quoties cum aqua miscentur, curandum est, ut totam infirmus hauriat mixtionem. Nam quum pulveres illi in aqua plerumque non prorsus dissolvantur, fere semper pars aliqua, ac saepe quae maxime est praecipua, cochleari adhaeret; quare has reliquias denuo in cochleari aqua miscebis et alluendo collectas infirmo hauriendas dabis. Si pulverum quempiam v. gr., qui male olet vel sapit, oblata obvolvere volueris, infunde eum pulverem, in partem oblatae satis magnam, quae prius aquae submersa, postea in cochleari posita est, tum super pulverem infusum margines oblatae ita complica, ut quidam hinc globulus efformetur. Hunc globulum in prima parte cochlearis positum in linguam infirmi demittes, deinde haustum aquae bibendum praebebis.

Infirmus *vomitorium* sumpturus paulo ante ne vescatur solidis cibis. Aegrotus, quaecunque comprimunt et constringunt, deponere et solvere debet; excipe tamen fascias herniales, quae minime solvendae sed contra quam optime et cautissime aptandae sunt. Quum infirmus hausto vomitorio incipit nauseare atque ructare (non tamen antea) vel iam evomere, tum poteris ei haurienda praebere aliquot pocilla potus tepidi, aquae, theae dilutae, aquae cum butyro mixtae, quibus rebus ipsa vomitio promovetur faciliorque fit. Plerumque vomitorium efficit, ut bis et etiam quater evomat infirmus, idque plane sufficit. Quodsi aut pluries vomeret aut diutius maiori nausea laboraret, poteris ei pocillum caffeti nigri vel pulverum aërophorum dare et fomentum e farina synapeos paratum vel huic simile quid praecordiis imponere.

Nunquam danda erunt vomitoria, nisi a medico fuerint praescripta: atque pharmacopolis ipsis minime licet, eiusmodi media

dare praeter medici ordinationem, aut aliis infirmis aliove die, quam medicus constituerit.

Quodsi vomitorio praescripto quidem sed nondum hausto sponte sua incideret vomitus, diarrhoea, sanguinis exspuitio vel eruptio, convulsiones vel tormina, consultum erit, ut usus vomitorii differatur, donec medicum denuo interrogaveris.

VII. DE APPLICANDIS IIS REBUS, QUAE A MEDICO IN USUM EXTERNUM PRAESCRIBUNTUR.

Linimenta, emplastra, unguenta. In frictionibus, quae nuda manu vel lacinia lanea faciendae sunt, illud in primis observa, ut continenter fricare pergas sed non adhibita fortiori pressione, ne epidermis atteratur neve infirmo dolores sine necessitate parentur. Neque infirmus plus quam necesse est, denudari debet, tum ut parcatur pudori, tum ut frigoris iniuria evitetur. Unguenta acriora atque imprimis etiam unguenta hydrargyri optime infricabis chirotheca adhibita ex corio facta vel porcaria vesica siccata et perfricatione emollita, ne scilicet tuos ipse digitos atteras neve ex hydrargyro tibi salivationem contrahas. Post unamquamque inunctionem rerum etiam minime noxiarum manus bene lavandas esse per se patet. — Emplastra et unguenta ne crassiora linteo imponantur, quia hac ratione cutis sine necessitate inquinatur. Quoties vulnus unguentis alligatur, toties ipsum vulnus et proximae partes non solum a pure, sed etiam a vetere unguento purgentur necesse est. Atque unguentum ut removeas maxime opportunum est, cutem oleo abluere; vulnus autem ut purges illud conspergere vel abluere optime poteris aqua, infuso Chamomillae, aliave solutione (e. c. desinfectiva) a medico praescripta. Emplastra ac praesertim adhaesiva, quum non bene adhaerescunt, paululum ad fornacem calefacito, donec teneant; qui emplastra afflare solent, perverse agunt, quum eadem madefaciant. Omnia unguenta opus est, ne pulvere inquinentur; nonnulla etiam caveas, ne vi luminis dissolvantur; quare pyxis unguentaria semper statim post usum occludatur.

Cataplasmata, fomenta. Praecipua fomentorum genera sunt: cataplasmata calida ac mollientia, secundo fomenta refrigerantia. In illis et calor et humiditas plurimum valent. Atque calor sanguinis si attingitur semper sufficit; qui utrum adsit, tentabis admota gena, naribus primoribus, vel exteriore manus parte. Porro fomenta toties renovanda sunt, quoties calorem diminutum esse infirmus sentit, plerumque post $^1/_2$ — 1 horam. Quae ut diutius et calida et humida permaneant, contegantur ea materia, quae non recipiat nec transmittat liquorem, veluti panno cerato, charta e Cautschuck praeparata, quae tamen paulo latior esse debet ipso fomento. Fomenta si pure, sanie, sanguine etc. inquinata sunt, aliis mundis suppleantur. Haec fomenta mollienta ac calida parantur ex farina seminum lini, pane albo, avena excorticata, amylo, herbis mucilaginosis (Malvis, Althea) etc. semperque tenui panno involvuntur.

Pro fomentis refrigerantibus utimur plerumque aqua frigida, qua inbuuntur linteola compressa, quae post 5—10 minuta semper renovanda sunt. Quae tamen non adeo madida sint orportet, ut aqua defluat. Maxime etiam opportune est, eiusmodi linteola compressa congelare. Quod ut fiat, ponantur in tabula *lignea* iisque superimponatur vas aliquod metallicum fundo planum, v. gr. pyxis lamina facta, quae glacie cum sale communi crasso mixta impletur; hac ratione intra pauca minuta conglaciantur linteola ista. — Sed plus quam lintea compressa valent glacies vel nives, quae imponuntur inclusa in aliqua vesica vel in sacculo ex gummi confecto. In vesicam infundes et glaciei particulas magnitudine nucis et aliquantum aquae, vide tamen, ne totum sacculum vel vesicam compleas, quia tum non satis ad partem corporis applicantur. Loco glacici poteris etiam immittere in sacculum mixturas, quae frigus gignant, v. gr. 5 partes ammonii muriatici (salis ammoniaci), 5 partes nitri, 8 partres natri sulphurici, 16 partes aquae. Si glaciem vel mixturas frigidas adhibes, iuvat inter cutem et sacculum interponere pannum siccum bis complicatum v. gr. sudarium, ne cutis gelu nimium patiatur.

Conficiuntur etiam excitantia quae dicuntur fomenta et cataplasmata ex herbis aromaticis (Chamomilla, floribus Tiliae,

herba Menthae piperitae); eodem modo sacculi herbis siccis farti applicantur. Madida si cataplasmata excitantia parare volueris, accipe easdem herbas vel unum ex fomentis supradictis et adde liquorem ammonii caustici (40—60 guttas), spiritum vini, vinum adustum, vinum, aut lintea compressa adhibe calido vino imbuta vel vino adusto cum aqua.

Iam vero fomenta excitantia nos adducunt ad

remedia irritantia et *derivantia.* Frequentissimum ad irritandam cutem remedium est cataplasma e farina synapeos paratum. Ex huius farinae recentis 60—150 gramm. cum aqua confice pultem, quam crassitudine pollicis inter tenue linteum vel pannum illum tenuissimum, quem „gaze" vocant, interpositam applica. Hoc cataplasma maneat applicatum, donec ardens quidam dolor sentiatur et cutis rubescat, id quod post 5—10—20 minuta accidet, prout farina plus minus valida cutisque irritabilis fuerit. Eius loco poteris etiam adhibere pultem subactam ex contrita armoracia (Meerrettig, raifort sauvage), aut chartam bibulam crassam et mollem spiritu synapeos imbutam, cui insuper impones linteolum compressum, aut madefactam chartam synapeos, qualis hodiedum a pharmocopolis venditur. — Partem rubentem aut flore lactis aut ipso lacte ablutam, tenui linteo contege.

Remedium derivans, quod frequentissime praescribitur, est emplastrum cantharidatum. Quod secundum variam ordinationem medici 2—10 centimetra in diametro ocuppat et marginem adhaesivum habet. Emplastrum bene ad cutem applicari debet, quare si locus patitur, illud fascia alligabis non tamen nimis arcte adstricta. Quodsi ruborem tantum cutis elicere velis, emplastrum per 2—4 horas relinquitur, sin autem postulas excitare, 12—15 horae requiruntur. Porro si pus moveri non debet, pustula in parte quidem inferiore inciditur, non tamen aufertur, sed cum unguento plumbi, unguento cereo, oleo vel solo discerpto linteo vel bombacio alligatur. Si tamen in loco affecto pus moveatur necesse est, pustula in superiore parte dissecta tollitur, vulnus autem unguento basilico alligatur. Ut pus moveatur profundius (fonticuli oriantur), in loco saucio ponuntur cice-

res, globuli ex radice violae, exigua mala aurantium etc., quae emplastro adhaesivo vel fascia satis adstricta alligantur.

Alia remedia derivantia, ut unguentum tartari stibiati, oleum Crotonis [1]) adhibenda non sunt, nisi ex speciali medici praescripto. Moxae quae vocantur, remedia caustica omnis generis, ferrum candens etc. applicari nequeunt, nisi ab iis, qui harum rerum periti sunt.

Balnea. Pedum balneis, quantum fieri potest, eo semper tempore utantur, quod permittat, ut statim postea cubitum eatur; aqua sit calida habeatque 28—30° R. Ad effectum augendum adde pugnum salis popularis, vel 40—50 gramm. farinae synapeos. Aqua balnei pro pedibus usque ad talos tantum vel non multo altius ascendat, nisi aliter a medico expresse ordinatur.

Balnea plena, quibus in cubiculo utimur, in alveis paranda esse patet. Optimi sunt alvei, qui ex zinco conficiuntur. In fundo alvei praesertim pro infirmis debilibus ponere iuvat tenuem pulvinum v. gr. stramine foenove refertum, vel tegumen linteumve pluries complicatum etc. Alveus eo usque aqua implendus est, ut humeri et brachia infirmi ea submergi possint. Varium balnei calorem [2]) ipse medicus praescribit. Quodsi aqua inter diuturnam lavationem refrigescit, aqua calida cautissime

---

[1]) Idem valet de illo quem praedicant „suscitatore vitae", qui nihil aliud praestat, nisi ut vulnera exigua per acus instrumenti perfecta oleo Crotonis diluto perungantur. Minime excusandi sunt, qui medico inconsulto, eam rem peragunt, ex qua gravissima mala nasci possunt. Equidem ex usu compluries comperi, fatalissimum erysipelas (Rose) per istum solum „suscitatorem vitae" fuisse suscitatum. Ubi temeraria ista fraus crebius quam in hac urbe nostra adhiberi solet, saepius etiam res similes observantur, at vero — dissimulantur.

[2]) Balnea, quae 15° R. non superant, frigida vocantur, quae intra 16°—23° R. haerent, refrigerantia sunt, a 24°—27° R. tepida, a 28°—32° calida dicuntur. Quae 32° R. superant, ardentia sunt. In parando balneo semper opus est thermometro; quod si non habes, calorem aquae non tentabis manu, sed aliqua corporis parte, quae tecta esse solet ideoque mollior est, v. gr. cubito. Qua cautione neglecta (v. gr. ab obstetricibus) iam saepius, id quod exemplis demonstrari potest, proles modo nata ferventi balneo adusta vitam amisit.

per marginem alvei affundatur. In ipso balneo infirmus se moveat cutemque fricet necesse est; quod si ipse non potest, infirmarius eum leniter perfricabit. Quamdiu in balneo remanendum sit, hoc etiam medicus determinabit, plerumque 10—20 minuta conceduntur. Quodsi infirmus in ipso balneo deliquium pateretur vel nervorum distentiones vel sanguinis eruptionem, illico caute ex balneo tollendus est. Quum in balneo, id quod non rarum est, sentiuntur congestiones ad caput cum capitis doloribus, vertigine, sonitu aurium, poteris infirmi in balneo remanentis capiti linteum compressum frigidum imponere vel aquam frigidam infundere; sin autem illae accessiones post modicum tempus non emittuntur sed augentur, infirmus balneum relinquat necesse est.

Balneo absoluto infirmus panno magno et bene calefacto obvolvatur, hoc eodem panno in lecto, id quod commodissimum est, abstergatur, deinde optime contegatur. Iuvat etiam paulo post ei praebere aliquem potum calidum vel ius, quo sumpto plerumque salutari somno consopitur.

Balnea plerumque simplici aqua comparantur: additamenta quaequnque ab ipso medico determinantur. Itaque v. gr. ordinabit balnea furfurea (500—1500 gramm. furfuris triticei in sacculo inclusa in 5 litris aquae coquuntur et decoctum in balneum infunditur). Balnea etiam parantur cum hordeo tosto (2—3 kilogr., pro infante autem $^1/_2$—1 kilogr. hordei tosti in 5—10 litr. aquae per $^1/_2$ horam cocta et percolata). Alia denique cum lixivio (Mutterlauge, lessive) paranda sunt (ad balneum pro homine adulto adde lagenam lixivii vel 1 kilogr. salis e lixivio (sel lixiviel) e. c. qualis apud nos a Kreuznach cognomen habet. Praeterea opportune adduntur $^1/_2$—1 kilogr. salis popularis) etc.

Clysteria plerumque ab aliquo homine perito, ab adiutore medici, a tonsore, ab obstetrice applicantur ideoque hoc loco de ratione applicandi plura disserere non opus est. Res autem, ex quibus clysteria paranda sint, ut plurimum praescribuntur a medico. Illud autem in casibus subitis cognoscere iuvat, mensuram clysterii exonerantis explere debere pro adultis 12—20 cochlearia, pro infantibus ratione habita aetatis 2—10 cochlea-

ria. Clysteria alvum obturantia et antispasmodica fere solum dimidiam partem, clysteria nutrientia tertiam tantum partem illius mensurae contineant necesse est, quam pro exonerantibus praecepimus. Gradus caloris esto 26—27° R., nisi expressis verbis aliud praeceptum est.

Clysteria exonerantia parantur ex aqua, lacte, quibus additur 1—2 cochlearia alicuius olei (olei Ricini), 1 cochlear sacchari vel mellis, 1—2 ligulae salis vulgaris, 8—10 gramm. saponis albi, 1 cochlear aceti e vino facti. — Inter clysteria efficacissima, quae adhiberi possint, v. gr. in chronica alvi duritie, in haemorrhoidis, etiamnum recensetur clysterium simplici et frigida aqua paratum.

Clysteria obturantia: decoctum avenae excorticatae, seminum lini, radicis altheae; puls ex amylo parata. Additamenta medicinalia, v. gr. 5—10 guttae tincturae Opii, a medico praecipienda sunt.

Clysteria antispasmodica ac sedantia in pharmaceutica officina plerumque iam parata solummodo calefieri debent. Utilissimae sunt ac facillime parantur decoctiones florum Chamomillae, radicis Valerianae, 8—10 gramm. capitum papaveris.

Clysteria nutrientia: ius carnis bene elixae cum luteo ovorum.

Clysteria contra vermes, quae plurimum valent ad illos parves vermes eiiciendos, qui intestino recto inhaerent, etiam plerumque a medico praecipienda sunt. Sed quoniam de his quidem vermiculis raro medici consilium exquiri solet, nihilominus tamen iidem vermiculi prurientes, vel in ipsa genitalia repentes apud puellulas saepe masturbationem provocant, hoc loco addo, clysterium paratum ex decoctione 6—8 bulborum Allii in 6—12 cochlearibus lactis efficacissimum esse remedium contra hos vermes intestini recti.

Detractiones sanguinis praeter manifestam necessitatem nunquam faciendae sunt, nisi a medico praescribuntur. Etiam cucurbitas imponere et venam secare non potest, nisi homo peritus. Hirudines solummodo saepius admoventur ab iis, qui apud infirmum commorantur.

Hirudines ne accipiantur nisi ex officina pharmaceutica vel a legitimo mercatore, quia hac solum ratione certus esse poteris, te veram et medicinalem sanguisugarum speciem atque hirudines validas accepturum esse. Hae duae tantum species hirudinum adhibendae sunt: hirudo germanica (cuius tergum colore oleagineo tinctum sex lineas habet coloris rubiginosi sed nigris punctis notatas, venter e viridi pallens nigras habet maculas) et hirudo hungarica (tergum subviride vel nigricans e viridi sex lineas per longitudinem habet, venter carens maculis, colore oleagineo suffuscus duas ostendit lineas marginales. Heluo vulgaris (quam hirudinem equariam vocant) inutilis est et *nullis* in tergo lineis insignitur. — Hirudinem aegrotare scito, quando eius os (pars acuta) molle et maceratum est, quum eius corpus sordido muco operitur vel saltem eiusmodi mucus prope animal aquae innatat, denique quando in tepida vel recenti aqua hirudo non natat, sed segnis et contracta iacet. Aegrotantes hirudines admoveri non debent, ceterum fere nunquam mordent.

Loca, quibus hirudines non admovendae sunt: 1. Partes aegrotantes cutis; admove hirudinem prope hunc locum aegrotum cutis, non tamen ad hunc ipsum. — 2. Loca, in quibus maiores venae proxime ad cutem accedunt. — 3. Loca, in quibus crassior est epidermis: palma manus, calx. — Loca denique, in quibus pus effluens vel humores sordidi impedire possint, quominus morsus sanetur.

Antequam hirudinem alicui loco cutis admoveas, hic tonderi si opus est, ac bene lavari debet. Ad lavandum optime adhibes tepidam aquam cum sapone, qui tamen postea omnino abstergendus erit.

Brevi tempore ante usum hirudines in aqua tepida collocantur, cui si segniores illae sunt, aliquot guttas vini albi addere poteris. Dein eas apprehende manu bene abluta et adhibita lacinia lintea vel mantili, aut quod rectius fit, eas colloca sub vasculo vitreo, v. gr. vini adusti, quod inversum in cute imponitur. Ut hirudinem in certo atque exiguo loco v. gr. gingivae, palati etc. mordere facias, plurimum iuvant tubuli vitrei, crassitudine digiti, a fronte angustiores et nonnihil incurvati, quales

iam in omni officina pharmaceutica inveniuntur. Neque vero hirudines dimittere debes, priusquam momorderunt, id quod cognosces ex undulatis motionibus colli et recto angulo, quem caput format cum reliquo corpore. Quodsi forte periculum est, ne in cavum aliquod, in fauces, nares, anum irrepere possint, adhibito acu filum per caudam transmittere poteris, quo teneantur, sed vide ut transmittas a summo ad imum (minime a latere in latus, quia ita earum venae facile laeduntur).

Quum mordere nolunt, cuti asperge paululum aquae saccharo mixtae, lactis vel sanguinis, quem levi acus ictu ex cute infirmi vel ex tua manu elicueris.

Hirudines sanguinem sugere permittas, donec sponte decidunt; nunquam easdem abrumpere licet, quoniam inde vehementiores sanguinis profusiones vel malignae inflammationes oriri possunt. Sin autem removeantur necesse fuerit, quod, ut infantibus interdum accidit, inter sugendum convulsiones nascuntur vel deliquium, modicum salis, piperis, pulveris sternutatorii in hirudines iniice, nam statim sugere desinent.

Ut postea sanguis profluere pergat tamdiu, quam a medico praeceptum est, maxime utere impositis calidis pannis, etiam calidis cataplasmatibus, vel spongiis aqua calida imbutis. Nunquam autem licet, ad producendam sanguinis profusionem cucurbitas super ipsum morsum applicare.

Infirmus non debet solus relinqui, antequam sanguis certo conquievit; apud infantes etiam per insequentem noctem vigilare oportet, quoniam periculum est, ne animam cum sanguine fundant. Sanguinem ut plurimum cohibere potes apprimendo fungum igniarium non nitratum vel linteum rasum. [1]) Idem efficiunt etiam texta aranea, gluten lignariorum, pix, alumen, gummi sive colophonium pulverizatum, liquor ferri sesquichlorati (obturaculum suberinum vel fasciculus lintei discerpti rebus dictis imbuta ad morsum applicantur). Etiam illud remedium plurimum valet, quod supra iam commemoratum in eo positum

---

[1]) Hoc ut obtineas, acuto cultro laciniam linteam firmiter distentam ultro citroque rades.

[illegible] cutis comprimas. Accidit tamen, ut [illegible] non sufficiant. Quare quum ex [illegible] sanguis pertinaciter prodiit, praesertim apud [illegible], medicus vel chirurgus accessatur necesse est, qui adhibito [illegible] parvo lapide infrenato, candenti ferro, forcipe [illegible], quas „scopes finas“ Franco-galli appellant, vel sutura morsus sanguinem cohibebit.

Sanguine non cohibito imponantur mollia et sicca linteola compressa. Sin autem morsus inflammantur, linteola compressa, quae aqua cerussata imbuuntur, applicentur.

Quodsi quis forte hirudinem deglutiisset, copiam satis magnam aquae bene salsae bibendam praebebis. Sin hirudo irrepsisset in aliquod parvum naresve, unum, aquam bene salsam inlice. Hirudines denique, quae in morbis contagiosis admotae fuerunt ut typho, rubeola, variolis, morbo syphilitico etc., non licet reservare.

VIII. VARIA.

Mensura caloris in infirmo faciendi. Mensio caloris corporalis tum pro diagnosi et prognosi tum pro ipsa etiam therapia ad earum iam momenti pervenit, ut et in acutis morbis eadem fere non carere, et in morbis chronicis optime iuvari possimus. Quodsi medicus procul ab infirmo habitat, interdum maxime, ut aliquis ex familia caloris mensionem observet. Fortasse etiam non raro usu veniet, ut, qui medicus non est, in subita aegrotatione maiorem vel minorem morbi gravitatem ex calore corporali coniicere possit. Paulatim, credo, eo perveniemus, ut in cella quaque familia inveniatur thermometrum aptum ad corporis calorem dimetiendum: interea medicus, quoties se absente mensuram caloris observari praeceperit, eiusmodi thermometrum relinquere debet. Plerumque calorem dimetiuntur sub axilla et apud infantes parvulos utilius in ipso ano.

Mensurus igitur sub axilla primum maiorem sudoris copiam, quae forte adest, absterge, deinde globulum thermometri per

aliquot momenta tua manu calefactum profunde in cavum axillae inmitte. Denique brachium arcte ad thoracem apprime, ita tamen, ut magis parti anteriori quam lateri adiaceat, quoniam hac ratione certius et firmius axillae cavum clauditur. Illud autem praevidendum est, ut globulus thermometri ex omni parte bene ipsa cute tangatur neve forte vestimenta interponantur. Apud infirmos inquietos, debiles, amentes ipse potius brachium recte positum teneas oportet, ne eo remisso mensura illusoria fiat. Iamvero thermometrum ut dixi, dispositum relinquas per 10—15 minuta, quibus elapsis adhibito etiam lumine si opus est, in ipso thermometro, dum haeret sub axilla, gradus caloris leges *statimque* notabis addito die, hora, spatio temporis in mensionem adhibito. — Sin autem metiendum est in ano, globulus thermometri 3—4 centimetr. in intestinum rectum immitti debet; hic autem sufficiet, instrumentum reliquisse per 5—6 minuta, eo quod hic firmior et clausura et summus caloris gradus sive maximum quod vocant, citius attingitur. Sed caute teneas oportet quum instrumentum tum infantem, ne illud ex ano exprimatur aut impetuosa motione fractum laedere infirmum possit.

Scala thermometrorum, quae ad dimetiendum calorem corporis adhiberi solent, in centum gradus dividitur. Réaumur scalam eandem, quae inter punctum gelationis et aestuationis intercedit, in 80 gradus divisit; idem igitur spatium in priori 100 gradus, in posteriori 80 solum exhibet. Itaque 5° C. (Celsius, Centigrade) aequant 4° R. Praeterea in illis thermometris ad calorem corporis dimetiendum adhibitis singuli gradus subdividuntur in 10 aut saltem 5 partes sive lineas, quae etiam legendae atque notandae sunt.

Iniectiones subcutaneae. Interdum necessitatis vel opportunitatis causa medicus etiam iniectiones subcutaneas circumstantibus permittere debet. Tum curandum, ne quis aut in numero aut in copia iniectionum medici praeceptum transgrediatur. Aptum siphonem medicus procurabit.

Ut siphonem fluido impleas, pistillum primo attrahe, tum cacumine siphonis sursum verso tantisper reprime, donec fluidum eiicitur, ne scilicet sub cutem ullo modo aëra simul iniicias.

Deinde cochleam instrumenti ita pone, ut notetur quantitas iniicienda, aut antea tantum eiice, ut quantitas praescripta in siphone relicta sit. Iamvero his peractis in loco a medico designato sinistra manu cutem plicatam accipe et in infima huius plicaturae parte, linea parallela ad corporis superficiem et ad longitudinem plicaturae, acum siphonis tam profunde infige, ut certo cutem perfores, id quod contigisse manifesto senties ex minore resistentia mollioris compaginis cellulosae, quae cuti subiacet. Post haec dimissa cutis plicatura siphonis pistillum lente reprimendo liquorem in siphone contentum sub cutem iniicies et digito in punctione posito acum lente retrahes. Sacculus per iniectionem productus leniter fricando paulisper distribui potest. Postremo ipse sipho recenti aqua purgatur et in canaliculum acus, ne rubiginem trahat, postquam aqua efflata est, immittitur tenuissimum filum argenteum vel seta porcina.

Excreta conservanda si fuerint ex medici praecepto, ante omnia cura habeatur, ne eadem inquinentur sordibus, quare in mundis vasis excipiantur nec quidquam alieni addatur oportet. Adhibeantur igitur vasa nocturna pura, porcellanica, testacea; vasa vitrea urinalia, quae etiam infirmis (masculis) maxime opportuna sunt. Debilibus infirmis vasa submissoria, porcellanica propter munditiem, optime inserviunt. Sputa iuvat conservari in vitro, in quod ad tertiam fere partem recenti aqua impletum infirmus exspuit.

IX. DE CURA MORIENTIUM ET MORTUORUM.

Cura infirmorum ad mortem et ultra extenditur; quare hic etiam quaedam adiicienda sunt. Atque imprimis, ne in moribundo quidem cura corporalis negligi debet. Inhumanum sane est, si quis falsa clementiae opinione ductus morientem infirmum, saltem quamdiu sui compos est, iam non purgat aut medicinas praescriptas non amplius praebet, sed si, quod saepe fieri scimus, adstantes dolore se abripi sinunt. Hoc strepitu, hac lamentatione, his fletibus saepe magis oneratur moribundus, quam parva per-

turbatione illa, qua opus est ad praebendas medicinas, potiones etc. Quodsi pro ipso debilitationis statu medicinae praescriptae non sunt, tum utique easdem praebere minus est necessarium; eo magis autem necessarium est, cochleari instillare potum (aquam simplicem vel cum modico vino mixtam) vel etiam labia et linguam humectando lenire siccitatem in ore et faucibus cruciantem, quae gravi aspiratione et ore patente augetur. Curandum est, ut quam plurimum aeris recentis in moribundi cubiculum admittatur, ut removeantur quotquot huc non pertineant, id est omnes alieni, neque permittendum est, ut quis inepta ratione super moribundum se proiiciat. Nam etsi eiulationes istas ac lamentationes supra vituperavi, non tamen ego idem duram indolentiam postulo vel approbo; minime gentium! Sed tamen istam perturbationem omni sana mente carentem et eiulationes istas omnis christiani sensus expertes reprobo atque impugno. Pia alloquia, verba solatii plena, breves orationes cum infirmo fusae, preces iaculatoriae, haec certe gravissimum illud mortis momentum sublevant; at vero ultro citroque cursare, imo etiam ad ultimum usque momentum „inclamare“ morientem, quemadmodum alicubi fieri solet, haec sane mortem graviorem reddunt. Usus quidam vere detestabilis in quibusdam regionibus non raro invenitur. Auferunt pulvinos capiti morientis subiectos, ut citius animam agat. Et isti quidem homines misericordia moti hoc faciunt, sed eiusmodi res in misericordia perversissime intellecta nititur et haud raro ex misericordia quadam erga circumstantes magis, quam erga moribundum illud fieri existimo.

Post mortem infirmi corpus per 24 horas in lecto coopertum remaneat neque antequam hoc tempus praeterierit, denudandum ac lavandum est. Sed etiamsi antea lavare aliisque vestimentis induere volueris, hoc tamen ne facias, antequam frigidum sit corpus, quod etiam tum in lecto relinquendum est. Oculos premendo claudi non reprobo, sed perversissimus est abusus et satis frequens, statim post mortem os panno firmiter astringendi. Nunquam enim obliviscamur, fieri posse, ut homo tantum mortuo similis sit, atque ut ore alligato respirato forte reviviscentis impediatur. — Si fieri potest, per primas 24 horas semper

aliquis custos apud corpus vigilet. Licet enim excubiae apud mortuum communiter necessariae non sint, quae in nonnullis regionibus varios adduxerunt abusus, id tamen necesse est, ut aliquis saltem hinc inde corpus observet, donec aperta mortis signa apparuerunt. Sperandum est fore, ut aliquando inspectione corporum mortuorum legibus certis determinata, multa etiam his in rebus peccata corrigantur.

APPENDIX.

PONDERA ET MENSURAE.

1 Uncia	antiqui	ponderis	medicinalis	= 30 Grammata.
1 Drachma	„	„	„	= 3,75 „
1 Scrupulus	„	„	„	= 1,25 „
1 Granum	„	„	„	= 0,06 „

1 Litrum = 1 Kilogramma aquae destillatae.

1 Tasse (pocillum)	= 100—125	Grammata liquoris.
1 Tasse de bouillon	= 200—225	„ „
1 Vitrum, calix, scyphus vini	= 100	„ „
1 Cochlear cibarius (Esslöffel)	= 15	„ „
1 Ligula, cochlear parvum (Theelöffel)	= 3,75	„ „
20 Guttae	= 1	„ „

(Atherei liquoris 50 guttae efficiunt 1 Gramma.)

1 Cochlear herbarum et florum	= fere 8	Grammata.
1 Ligula pulveris herbarum vel florum	= „ 1,25	„
1 „ salis, sacchari, sulphuris etc.	= „ 2	„
1 „ magnesiae ustae	= „ 0,6	„

1 acumen cultri aequat $^1/_4$—$^1/_3$ ligulae.

O. A. M. D. G.